



120



45, 2.

Vd
1143

VERITAS a CALUMNIIS VINDICATA
SEU EX PARTE
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
SVECIÆ
JUSTISSIMUM
RESPONSUM

QVO
NEFANDÆ ARTES ET CALUMNIÆ
REGIS POLONIÆ,

QVIBUS
INJUSTISSIMUM, ET DIVINIS HUMANISQUE
JURIBUS MAXIME DETESTABILE BELLUM
INFUCARE NITITUR,


Et contra pacta conventa, præstitumque juramentum,
REIPUBLICÆ, cui præest, LIBERTATEM,

Si poterit,
SIMUL OPPRIMERE,
MANIFESTANTUR.

Anno reparata per Christum salutis
M. DCC.





Um festinatio vetuerit integrum aduersarii libellum,
ut constitutum erat, typis simul excudere, visum est
quoddam ejus compendium hic præmittere, & in
breui quasi tabella seriem criminationum omnium
repræsentare, ut, iis intellectis, incorruptius certiusq; de oppo-
sito responso judicari possit.

INSCRIPTIO.

JUSTÆ VINDICIÆ

Summa Armorum Justitia

Ex Parte

Sac^æ Reg^æ Mt^{tis} Poloniarum.

juxta obligationem Pactorum Conventorum,
præstitumq; Reipublicæ Juramentum,

Contra

Serenissimum Regem & Coronam Sveciæ,

ratione

ruptæ toties Pacis Perpetuæ, violatorum Pactorum Oli-
vensium,

nec non novissimæ exagitationis & offensionis

Serenissimi Regis Daniae & Norvegiæ,

Perpetui Fœderati Regni Poloniæ,

ac

Copiarum Regiarum aggressionis,

MANIFESTANTUR.

Anno

Vindicatæ Salutis Æternæ

M DCC.

(85)(86)(87)

Argumentum.



*L*itio magnificis verbis Regis Poloniae in rempublicam merita extolluntur, qui a primis regni auspiciis tum tranquillitatem internam, tum bonae cum vicinis amicitiae, pactorum foederumque conservationem inter sanctiores curas reposuisse dicitur, atque unice in votis habuisse, ut Poloniam libertatem in dies efflorescere videret. Itaque compositis turbidi interregni dissidiis, Turcis sola armorum ostentatione ad pacem compulsis, prolatis regni terminis, Elbingensi negotio per amicos tractatus sopito, adeoque pace domi forisque parta, cum Polonos dulcedine otii solari cogitaret, ecce Sveci, quorum animus paci semper infestus, rupto saepius foedere Olivensi, multisque contra rempublicam testatis apertae hostilitatis indicis, nuper quoque Rege Danicae, perpetuo Polonorum foederato, per immixtas in Holsatiam copias & munimenta erecta, offenso; & novissime exercitu suo, qui circa Polangae portum in Lithuania desudabat, multis modis infestato, subito eum ad capienda arma provocarunt. Metuebatur enim, ne illi, qui divina humanaque jura contemnere, & pacta induciasque violare consueverant, ex improvviso Poloniam gravius affligerent: siquidem ex praeteritorum temporum memoria constat, Ericum, Suecorum Regem, Aestoniam violenter interceptisse, adjutum fraude & pro-

ditio-

ditione Ducis Megapolitani: inde Carolum nonum non modo Sigismundum solio Sueciae pepulisse, sed & irruptionibus suis Polonorum provincias urbesque infestasse: Gustavum porro Adolphum eosdem innocentes induciisque confisis inopinato invasisse: & Carolum denique Gustavum, abruptis induciis, sine ulla causa, gravissimo bello Poloniam perfide oppressisse, quam in extremum precipitasset periculum, nisi Imperator suppetias tulisset, & Rex Danorum ex vi foederis Svecos a tergo adortus, eam liberasset. Cum hinc Svecorum perfidiam tanquam in speculo contemplari possint; grandiolem tamen injuriarum atrocitatem ex sequentibus resultare annis, quando post pacem, magno cum reipublicae dispendio, Regis Christianissimi opera Olive stabilitam, Sveci foedis fraga & suspecta amicitia hostiles actus frequentarent, multaque insidiosae machinari non desinerent: ut in aperto sit Regem Poloniae, quem ultorem publica exposcit vindicta, summae inimiti justitiae, atque juste ac legitime processisse, cum repentina irruptione Livoniam invaderet. Proinde cum nulla pars justitiae ab ejus instituto abest, neque praesidium reipublicae ullum est, nisi in armis, plane confidit Deum a Svecis, qui toties pacta Olivensia violaverant, & anno MDCLXXV in Marchiam Brandenburgensem irruerant, justam repetiturum ultionem. Ut vero omnibus haec Svecorum molimina pateant, & Poloni majori cura in futuris comitiis de bello proseguendo agant, placuit Svecorum injurias juxta seriem articulorum Pa-
cis

(85)(86)(87)

cis Olivensis recensere. Ac primo quidem criminatur, Svecos certò fœdere per legatum suum, comitem Tottium, compilato ad liberam electionem Regis armis opprimendam impio & fœdisfrago ausu conspirasse, atq; ex furore, odio ac invidiâ, proculcato nobilitatis jure, in debellatis animis absoluti sceptri potentiam fundare voluisse: deposita vero mox simulatae amicitiae larvâ, celatum pectore virus depromsisse, cum Duci Curlandiae intolerabilia damna inferrent, armata classe litora ejus violenter invaderent, naves raperent, & turbato maris Balthici usu, ex latrociniis gloriam quæerent, nulla satisfactione data, neq; navibus restitutis. Neque mirum esse talia Svecos patrasse, cum Gustaphus Adolphus, ejusque posteris, maris Balthici dominium sibi vindicare semper studuerant. Arguit deinde Livoniam illicite & contra fundamentales reipublicae leges alienatam: Svecos vetera Livonorum privilegia violasse, illosq; induceto in provinciam despotico regimine, bonis, fortunis, honoribus multatos exquisita carnificina lacerasse: atque eo æquius esse, ut sub gravi jugo gementes injustis dominis ac tyrannis scelus ac nefas agentibus eripiat Rex Poloniae, tam ex conscientia & juramento ad Livoniam recuperandam obligatus, quam necessitate adactus, ne, desperatis auxiliis, ipsa alium quæerat dominum cum irreparabili reipublicae detrimento. Porro limitationem Livoniae a Svecis elusam queritur: tria milliaria fundi Duci Curlandiae ademta: limites, non expectatis commissariis Polonis, de-
termi-

terminatos: & Dunemundam castellum cum opprobrio nomi-
 nis Polonici in solum Curlandicum translatum: Polangæ por-
 tum in Samogithia, dispersa Anglorum, qui illuc commeabant,
 societate, & subhastatis mercibus eo destinatis, destructum: Hor-
 nium, Suecorum ducem, anno MDCLXXVIII, cum exercitu
 populabundo Curlandiam Samogithiamque violenter transfisse:
 grandia debita, quæ a ducibus bellicis Thorunii & Elbingæ con-
 tracta erant, nondum soluta: vectigalia nova mercibus, quæ
 Dunâ & Buldera fluminibus Rigam advectantur, imposita:
 falsa solidorum monetâ Rigæ excusa Lithuaniam infectam: &
 tabellariorum denique cursum in grave jurium regalium & rei-
 publicæ damnum per Curlandiam temere & indebite institutum
 esse. Hisce insolita dictiõnis protervia enumeratis, evictores
 pacis Olivenfis, ex articulo tricesimo quinto, sui officii admonet:
 sed eundem præcipua & principe parte, quæ de modo controver-
 sias pacifice tollendi, & de belli denunciatione agit, truncat.
 Quam fallaciam ut aliquo fuco obtegat, Polonos obtendit tur-
 bis domesticis, belloque Turcico, districtos, aggressionem aper-
 tamq; Suecorum hostilitatem dissimulasse, ne illi solita ferocia
 perfidiaq; querelas suas antevertentes, in regni viscera irruerent:
 præsertim cum sponsores fœderis Olivenfis bellis quoque occu-
 parentur. Ut vero injurias istas nunc ad animum revocaret,
 se perpetuo reipublicæ cum Danis fœdere excitatum esse, quos
 Sveci, missis ad munimenta Holsatiæ Ducis exstruenda copiis,
 le-

(56)(57)(58)

lesissent: tum injuriâ sibi in persona ablegati sui illata, quem, insalutato Rege Sueciæ, retrovertere coegerant: & novissime a gubernatore Rigensi irritatum, qui legiones suas Poloniæ hybernantes variis modis exagitasset: postremum vero omnium est, quod Sueci, bello jam exorto, naves ad promontorium Gedanense miserant, observaturas, ne quid apparatus bellici apportaretur. Tot igitur justissimis causis cum stimularetur, memorem se jurisjurandi, & pactis cum republica conventis inhaerentem, arma induisse: denunciatione autem belli opus non habuisse, cum Sueci vim priores intulissent. Proinde Deum invocat fœderum ruptorum vindicem, ut suæ æquitati assistat, & Livoniam corpori reipublicæ restituat. E victores denique pacis Olivensis obtestatur, ut, intra destinatum tempus, conjunctis armis turbatorem pacis Suecum undiquaque aggrediantur, eundemq; pro communi hoste reputent, cum sanctius digniusque nomini suo respondere nequeant, quam si Poloniæ & Daniæ arcte ita a retroactis temporibus connexas rationes æstiment, ut una sine altera subsistere non possit. Atque hæc totius rei scena est, quam pudenda verborum, quæ præterire fas sit, colluvie ac fœditate ad invidiam faciendam, Polonosq; in odium Suecorum exstimulandos, instruxerat: quam autem sinistro genio, ex sequenti responso patuerit.



Um vulgato nuper libello, cui
 titulus *justæ vindiciæ*, nova quædam
 & in hoc tempus inaudita adstru-
 endæ armorum justitiæ attulisset
 Rex Poloniæ; non id quidem in-
 solens habebatur, si vitio humanæ
 naturæ, culpam suam solícite obtegentis, quæliacun-
 que huic bello, quod Christianus orbis tantopere
 abominatur, ad levandam invidiam, prætexere vo-
 luisset: hoc robustioris audaciæ visum, quod, cum
 ea hic fingerentur, quæ nunquam facta aut cogitata
 essent, ista tamen commenta inusitata verborum
 protervitate orbi venditasset, neque veritus fuisset, ne
 pars altera tam indigne habita, absterfo fuco, nati-
 vum rebus colorem cum magno ipsius dedecore red-
 deret. Nam non modo immanis animi videtur,
 in Sacram Regiam Majestatem Sveciæ, quam prius a-
 trocissimo facto læserat, verbis quoque lævire; ve-
 rum etiam a moribus cultiorum gentium valde alie-
 num, ut principes maledictis se invicem appetant,
 a quibus armati quoque ob mutuam sacrosanctæ i-
 stius, quam gerunt, dignitatis reverentiam abstinere
 decorum censent, nec permittere, ut in integras na-
 tiones,

A

tiones,



tiones, earumque rectores, virulenti animi saniem erudient inconfulti & maleferiati homines. Verum longe opinione fallitur Rex Poloniae, si dictionis intemperantiâ causam suam meliorem reddi, aut labem, quam ex nefario contraxit bello, jejunis istis cavillationibus tolli posse crediderit. Tanta enim est veritatis vis, ut contra astutiam, & fictas hominum insidias, facile se ipsam tueatur: tanta etiam nostrorum temporum sagacitas, ut inanibus & phaleratis dictis decipi nequeat. Quamvis vero istam procacitatem justis modis retundere proclive esset, cum, si quisquam, sæcundam criminationibus segetem præbeat Rex Poloniae: tamen infra suam magnitudinem ducit Sacra Regia Majestas Sveciæ cum illo probris certare, quocum armis contendere cogitur, speratque nudam, & sine pigmentis, veritatem cordatissimi cujusque animo facilius se insinuaturam esse. Tum quoque ægre sibi persuadere potest S. R. Majestas tam vilia & indecora a tanti fastigii principe profecta esse: quin potius a profligati pudoris homine, quem in familiaritatem admiserat intimam, multa, ipso inscio, inserta, ut privatae vindictæ litaret, gentemque Polonam improbis calumniis in odium Svecorum extimularet: cum præsertim quam plurimis
hic

hic scateat libellus, quæ nullam veri speciem habent, pravasque ejusmodi & degeneres fallacias proferat, quas in plebejis & modicis personis ut turpes, & ab honestate remotas, censura publica notat, in Principes ne suspicio quidem est cadere posse, certe ab iisdem quam longissime abesse deceret.

Inprimis autem vaga ista fluctuatio, & inconstantia in prodendis hujus belli causis non levem falsitatis suspicionem præbuerit. Nam cum ab initio molestias quasdam a præsidio Rigensi copiis suis, ad Polangam in Samogithia hærentibus, allatas, metumque ex apparatu in Livonia bellico, hostili & improvise in hanc provinciam irruptioni obtendisset Rex Poloniæ: hoc scripto, quinque post inceptum bellum mensibus publicato, alias longe & a prioribus diversas causas adfert, pactorumque Olivenfium multifariam a Svecis violatorum crimen objicit. Verum has omnes fictas esse & commentitias, non genuinas hujus belli causas, cum aliis rationibus demonstrari potest, tum inde clarissime liquet, quod ne Regi quidem Poloniæ ab initio horum motuum notæ fuissent. Nam si cognitas habuisset, quis dubitare potest, quin ad horrorem demendum, quem omnes ex hoc bello concepisse intelligebat, his ipsis

e
m
in-
la-
ca-
est
m
o-
tis
ci-
si
æ-
li-
o-
e-
is-
se.
e-
o-
e,
a,
n-
e-
is
ic



(4)

statim, non aliis quibuslibet usus fuisset? Atqui quemadmodum Flemmingus, qui tunc copiis istis cum imperio præerat, nulla se mandata a Rege habuisse fatebatur ad Livoniam invadendam, sed metu & injuriis Svecorum, qui copias suas scilicet infestassent, eo adductum fuisse; (A) ita ipse quoque Rex ducem injussu suo hanc expeditionem suscepisse affirmabat, quamvis eam postea adprobasset, hoc unico prætextu apud alios principes usus, quod a Svecis hiberna sua vexantibus, & infesta molientibus irritatus esset. Quin ipse Flemmingus in sua ad Regem epistolâ, (B) quasi gaudio exsultans, Svecos hac violentiâ ipsi occasionem belli, quam solícite alioquin quæreret, ultro obtulisse & tanquam obtrudisse scribit. Unde luce clarius est, infesta quidem id temporis consilia agitasse Regem Poloniæ, sed ea exferendi non idoneum eousque reperisse prætextum: atque adeo, quæ libello hoc recensentur, injurias minime originem huic bello præbuisse, sed, eo incepto, demum excogitatas esse, de quibus antea juxta cum ignarissimis Regni nihil constitisset.

Porro, si enormiter adeo, ut in libello traditur, pacem Olivensem violassent Sveci, an credibile cuiquam erit, conceptum ex tot lesionibus dolorem
tam

(5) (90)

tam diu dissimulasse Ordines Poloniae, neque per
quadraginta annorum decursum verbo saltem indi-
casse? in primis cum expeditam adeo de injuriis con-
querendi viam demonstrat Oliva, ut laesus, accepta
injuriâ, laedentem conveniat, aut, si nequeat, discepta-
torem reliquosq; paciscentes eandem moneat. Hoc
vero unquam tentatum esse non ipsi Poloni affirmare
sustinebunt. Interea tot legatis ultro citroque missis,
tot etiam literis, cum alia quævis detulissent, nulla un-
quam de istis violationibus mentio facta est, nulla
querela inaudita: contra de mutuae benevolentiae fi-
daeque vicinitatis constantiâ, multa magnifice dicta re-
periuntur. Quæ desiderare tunc visi fuerant, non
gravate illis præstita sunt, promptis adeo Svecis ad fi-
dem pactorum in minutis quoq; servandam, ut, cum
aliquot abhinc annis tribunus Bernigius, in Sveciam
ab legatus, libros e Poloniâ superiori bello avectos re-
posceret, non modo regia, quæ Holmiæ est, Bibliotheca
ei pateret, verum etiam privatae excuterentur, pote-
state facta protinus, quæcunque volumina Regum Po-
lonorum insignibus nominibusve ornata istuc inve-
nisset, secum inde avehendi. (C) Cum interea per le-
gatos suos non semel Sveci ex postulassent de novis ve-
tigalibus, quæ in locis Dunæ vicinis contra pacta exi-
ge-

gebantur, de adulterina Polonorum monetâ, quâ Livonia corrumpebatur, de limitum direptionibus, de fugitivis, de iniquis mercium Rigensium detentionibus, aliisque negociis, quibus finitimæ gentes collidi solent, nihil a Polonis repositum est, quo justæ horum querelæ eluderentur. Novissimus omnium, & ante annum, in Sveciam appulit Galetscius, Senator Polonus, a Rege Friderico Augusto missus, qui Regis sui studium constantemque voluntatem colendi cum S. R. M. perpetuam amicitiam prolixè prædicavit, pactaque Olivenfis confirmari voluit: cui de S. R. Mis. benevolentiam pari cum humanitate responsum est. (D.) Itaque cum in majus robur firmari a S. R. Me. ista pacta tunc voluisset Rex Poloniæ, suo judicio comprobavit sancte & incorrupte a Svecis in eum usque diem fuisse servata. Neque enim, si tot modis, ut nunc traditur, infracta essent, antequam de damnis & injuriis satisfactum esset, renovanda censuisset.

Præterea cum senatores, ut ex novissimæ consultationis actis liquet, hortaretur Rex ad bellum contra Svecos decernendum, nemo e frequenti Senatu inventus est, qui ullius injuriæ meminisset, quâ pax Olivenfis violata esset: & cum forte unus, quem venalem linguam Regi mancipasse, & occulta ad patriæ oppres-

sio-

sionem consilia subministrafle omnes noverant, Sve-
 cos indignis modis insultaret, ad criminationes ejus
 adeo peregrinatae sunt Senatorum aures, ut non mi-
 nori illas intelligerent stupore, quam bellum paulo
 ante absq; notitiâ Reipublicæ inceptum attonitis au-
 ribus acceperissent. Scilicet tres præstantissimi fortissi-
 miqve Reges, qui Polonis a pacificatione Olivenfi im-
 peritarunt, impune Rempublicam a Svecis lacerari si-
 vissent, neqve illata damna verbo saltem increpuis-
 sent: tot etjam prudentissimi Senatores, gravissimas
 injurias, qvales hæ finguntur, non animadvertissent,
 aut silentio cum Reipublicæ damno ac dedecore tam
 diu transmisissent. Quid est hoc, si non proditionis
 eos insimulare, aut stuporis, aut certe supinæ ignaviae,
 qvod Reipublicæ jura vicinorum libidini exposuis-
 sent, neqve, qvod eorum munus erat, opportune vi-
 didissent, ne Respublica qvud detrimenti caperet? Sed a
 summis patriæq; amantissimis viris, qui clavum con-
 siliorum hætenus tenuerant, removenda procul du-
 bio hæc suspicio est, qui pro sua prudentiâ, si qvud da-
 mni Respublica passa fuisset, & vidissent dudum, &
 mature indicassent. Qvis vero non intelligit, inane
 huic culpæ a Turcico bello, & Svecorum ferociâ, qvæ
 Polonos has injurias persequi vetuissent, effugium
 qvæ-



quæri? Nam neq; toto illo tempore armis cum Turca decertarunt Poloni: neq; jam, isto bello composito, jus erat Regi processum pactorum Olivenfium invertere. Et cum minutissima ex isto pacto, sicut modo dictum, repeterent Poloni, de atrocissimis injuriis, & statum publicum convellentibus, si quæ tales essent, verbum nullum facerent? Quamobrem nemo tam imperitus rerum erit, quin videat mera hæc commenta esse, ante bellum incognita, heri aut nudius tertius, in cerebro scelerati cujusdam proditoris, aut perniciosi civis, qui ad ipsam Rempublicam tollendam cum Rege conspiravit, enata esse; adeoq; ipsum Regem, si aliis causis ad arma non esset stimulatus, hoc bello in hunc usq; diem supersedisse.

Sed non obscurum est, quid Regem Poloniae ad fabulas hæc amplectendas impulisset. Nam cum putidas istas calumnias, quas Flemmingus subdolæ in Livoniam irruptioni prætenderat, cum irrisu omnium ac fastidio rejici comperisset, & fidem, quam neq; meruerant, nusquam invenire; Polonos quoq; bello, quod, in scia Republicâ, conflasset, vehementer offensos esse: ut horum iras permulceret, apud cæteros horrorem facinoris minueret, aliis commentis opus erat. Tum demum palam obtendere, Reipublicæ

cau-

causâ, arma se induisse, ut ruptam toties Svecorum
culpa pacem Olivensem ulcisceretur, ostentata Livo-
niâ, quam a corpore Regni abscissam restitutum
se jurasset. Sed cum nihilominus violatarum Rei-
publicæ legum, quibus Rex Poloniae vetatur cui-
quam bellum facere, nisi communicato cum Ordini-
bus Regni consilio, eorumque veniâ impetrata, reum
se teneri intelligeret, conqviritis undecunqve cavilla-
tionibus probandum erat, Svecos pacis perpetuæ ru-
ptores, prius arma intulisse, pridem violenter multa
egisse, nuper copias quoq; suas aggressos: se itaq; la-
cessitum, non inferre bellum, sed repellere: quod ut
facere possit, jura permittere. Simul putabat notas
e latrocinio Flemmingi impressas obtegi posse, fini-
strosque, quibus lacerabatur, rumores paulatim refri-
gescere, si speciem nunc legitimi belli præberet. Tum
quod Elector Saxoniae susceperat, postea ut Rex Polo-
niae fecisse videretur, quo Rempublicam in societa-
tem hujus belli pertraheret. Hinc vehementissimæ
vociferationes, & in improbas criminationes effusa
maledicentia, quibus S. R. Majestas indignissimè car-
pitur: inclyta Svecorum natio, ut perfida, & paci in-
festa, traducitur: atqve, ut in majus odium veniat, ve-
tera e tenebris & oblivione protrahuntur, falsis & de-

B

tortis



tortis narrationibus interpolata: S. R. Majestatis majores, quorum sancta apud omnem posteritatem memoria vigeat, probris & contumeliis proscinduntur: neque ullis verbis temperatur, quibus atrum maligni animi virus evomi possit. Enimvero non dubitat S. R. Majestas, quin omnes probi tam foedam conviciandi libidinem detestentur, & simul ex iis, quae obiter indicata sunt, cognoscant, insidiosae talia a Rege Poloniae fingi & exaggerari, nullis testimoniis & idoneis argumentis suffulta; quae si verbo negarentur, fatis viderentur esse refutata: tamen ut de sua innocentia universo orbi, qui odio ac partium studiis vacuus est, apertissime constet, contumeliosum hunc libellum, penitus inspici & excuti jussit; ita tamen, ut cum minimo legentium fastidio, atque ea moderatione, quantum in refellendis acerbissimis huiusce criminationibus justus dolor permiserit, veritas oppressa vindicaretur. Quod si durioris aliquid responsi atrocitas calumniarum extorserit, id omne, & quidquid inde parum grati proveniat, impuro istius scripti auctori, qui nomine ipsius abusus est, Rex Poloniae acceptum referat.

Juvat itaque vestigia auctoris in isto libello sequi, non quidem ductura nos ad cubile veritatis, quae
in

in istiusmodi lustris non reperitur; demonstratura
tamen alibi potius, cum istic non adpareat, eandem
esse indagandam. Sed forte operæ pretium erit,
priusquam longius procedatur, ipsam paulisper in-
scriptionem intueri. Quem enim in ipso aditu splen-
dor istius tituli admirationi defixum non detinebit?
Iustæ vindiciæ & summa armorum iustitia. De qua ne for-
tassis cuiquam dubitare in mentem veniat, additur:
Juxta obligationem pactorum conventorum, præstitumq; Rei-
publicæ juramentum. Ex hoc videlicet fundamento pul-
cerrima ista armorum iustitia consurgit, & Regi Po-
loniæ necessitas est imposita bellum Svecis improvi-
so & subdole inferendi, ut pactis conventis cum Re-
publica Polonica & juramento suo satisfaceret. Ve-
rum pacta ista conventa perlustrantibus nihil tale oc-
currit: contra iis expresse cautum invenitur, ne abs-
que consensu Reipublicæ bellum cuiquam Rex infe-
rat, non peregrinum in Regnum, aut Lithuaniam, mi-
litem introducat, non exercitum augeat, nec nova
fœdera ineat: vetera autem renovare jubetur, & pa-
cem cum vicinis illibatam conservare. Ut nunc de
reliquis pactorum legibus nihil dicatur, quibus præ-
cæteris, qui eum antecesserunt, Regibus potestas la-
xior non conceditur. (E.) Itaque nemo satis admi-



rari poterit, pactorum conventorum, quæ toties con-
culcaverat, ipsum mentionem facere ausum esse, atq;
ex iis justitiam armorum adferere, quæ summam eo-
rum iniquitatem aperte ei exprobrant. Tantum e-
nim abest, ut inde manifestari possit, obligationem
Regi Poloniæ impositam esse bellum Svecis inferen-
dis, ut ista pacta multifariam ab ipso temerata esse cla-
rissime pateat, cum, in scia Republica, non tantum
Svecos bello aggressus sit, cum quibus vetera pacta
renovare debuisset, verum etiam ad eos opprimen-
dos nova & clandestina fœdera cum aliis iniisset. In
ipsa igitur fronte cum notabile adeo vitium contem-
plantium oculis se ingerat, quæ labe interna structura
laboraverit, non absurde potest conjectari. Et cum
Rex Poloniæ pacta hæc, quæ servaturum se jurave-
rat, tam proterve violasset, videat auctor hujus scripti,
quomodo cum Regem ipsum a perjurio, tum se a
prævaricationis crimine liberaverit, cum inflicta legi-
bus statutisq; patriis vulnera, quæ diligentius ocula-
rari ipsius Regis intererat, imprudenter adeo nudasset.
Nisi forte ad avulsa recuperanda jurisjurandi religio-
ne obstrictum fuisse Regem dicat. Atqui formula
jurisjurandi habet, Regem *illicite avulsa recuperaturum,*
non ea, quæ legitimis pactis, & totius Reipublicæ con-
sensu,

sensu, in aliorum potestatem devenerant. In horum
 censum cum Livonia referenda est, quæ non modo
 pacto Olivenfi Svecis est concessa, verum & alienatio
 ista a tota Republica comprobata, ejusque rati habitio
 volumini legum Polonicarum, in comitiis Varša-
 viensibus, anno MDCLXI, inferta, (F.) quâ justitiæ
 imagine, aut juramenti necessitate, ad eam invaden-
 dam Rex adductus sit, nemo facile explicaverit. Ast
 credidit juxta eadem pacta, & juramentum Reipu-
 blicæ præstitum, se obligatum fuisse ad bellum Svecis
 inferendum, hancque curam sibi tunc impositam,
 cum primum sceptrum Polonicum susciperet; quo-
 modo cum pacifica ejus intentione, quam in princi-
 pio hujus libelli magnificis adeo verbis extollit au-
 ctor, ista convenient? Dicit enim, *A primis regni auspi-
 ciis cum internam tranquillitatem, tum ab extra illibatam cum
 vicinis bonæ amicitie, mutue securitatis & pactorum fœderum
 observantiam inter sanctiores curas reposuisse Regem Polo-
 niæ.* Mira verborum complexio! Livoniam secun-
 dum pacta, & juramentum, armis vindicare, & eripe-
 re Svecis, debuit; & amicitiam iisdem servare cogi-
 tavit: eodem tempore bellum in animo habuit; &
 pacem inter sanctiores curas reposuit. Hæc aversa
 fronte inter se pugnancia, quamvis male solers sit,
 quo-



quomodo conciliabit præstigiator? In uno homine
diversam simul naturam inesse fabulatur, Janumque
bifrontem Regem suum facit, in quo belli pacisque
vim latuisse veterum superstitio credidit. Quid fu-
cum facit? An illibatam cum vicinis, sicut tradit, a-
micitiam servabat Rex, cum, quantum posset, omni
opera atque studio anniteretur, ut Danos, Moscos, a-
liosque in Svecos concitaret? Fœdera & pacta illi cu-
ræ fuisse affirmabit, qui, iis susque deque habitis, Li-
voniam prius armis oppressit, quam ullam offensæ
causam indicasset? Contrariam prorsus mentem
Regi hic affingi liquet, qui, quo tempore profunda si-
mulatione bellum meditabatur, moderatis consiliis,
pacisque studiis, minime intentus esse potuit. Quid
attinet in re aperta argutari? Subdola in Livoniam
irruptio docuit nihil minus Regem Poloniæ cogitaf-
se, quam cum vicinis amicitiam & pacta colere. Si
*fines regni non tam gladio, ut ait, quam iustitiâ terminare
voluisset, cur gladium strinxit, antequam viam juris
tentasset? Nam, ut inquit orator, cum sint duo genera
decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque
illud proprium sit hominis, hoc belluarum, tunc demum confu-
giendum est ad posterius, si uti non liceat superiori.* Atqui
cum, nulla unquam indicata injuriâ, qua læsus esset,
nulla

nulla damni, si quid esset datum, reparatione tentata, quod ex tenore pacti Olivenfis facere debuisset, primum occulte multa in Svecorum perniciem machinaretur, mox, captata occasione, improvise & ex insidiis, provinciam eorum irrueret, orbis iudicium esto, quam splendida hæc, & in speciem sesquipedalibus verbis adornata, pacifici animi prædicatio Regi Poloniae conveniat.

Sit itaque illud præclarum in vicinos æqvitatæ specimen: in Polonos quæ animi ejus mens erat? *Nihil, inquit, magis in votis habuit, quam pulcerrimum in dies efflorescentis Polonæ libertatis fovere vigorem virorumque.* An in ipso dolore, cum hæc legerint Poloni, risum continebunt? An potius pessimum adulatoris ingenium execrabuntur, verniliter ea in Principe laudantis, quæ ab ejus consiliis alienissima fuisse noverat? Scilicet sub hoc Rege Polona libertas effloruit, quo tempore nunquam magis oppressa, aut in apertius discrimen vocata fuit. Si cuncta a prima regni ingressione acta ejus percenseantur, quam pauca libertati amica, quam multa vi ac terrore repleta invenientur! Qui liberæ gentis suffragia extorquere maluit, quam accipere; atque contra leges, peregrinis copiis in viscera regni adductis, non tantum liberæ primatum voces

OC-



occlusit, sed etiam tantam vastitatem intulit, quantum ab inimicissimo hoste vix passi essent. Memoria non tenent Poloni infestas Saxonum acies, peregrinos satellites, & exclusam a Regis aditu, & propemodum conspectu, nobilitatem Polonam, aut, si qui admissi fuerint, ex gregalibus fere Carilinæ esse, qui patriæ salutem parvi venderent? Qvis Regis destinata in urbem Thoruniensem ignorat, quam simulato transitu per insidias intercipere cogitavit? Qvis violenta ejus de exercitu Regni delendo consilia non horret, cum inter Satrapam Marieburgensem, & Præfectum Crasnostascium orta esset controversia? Jam vero quibus artibus usus est, ut Mariæburgi & Polangæ præfecturas, Reipublicæ ereptas, sui juris efficeret? Opportunæ dominationi firmandæ, perpetuisq; in oppressione Reipublicæ copiis alendis, istæ visæ sunt; ideoq; contemnis tot sanctionibus, ne regnatrix familia novos fundos acquirat, eas sibi vindicare quovis pretio constituit. Cum Sigismundo tertio imperante, Varmiensis & Zyvicienensis districtus in regiam domum essent translati, cum minor timendi causa esset, quantas turbas hoc excitavit? Quam graviter equestrem ordinem commovit, anxium libertatis, & timentem, ne potentia Regis glisceret! Renovata igitur, anno

MDC

MDCXXXI, vetus lex, ne proprios in regno fundos
 Rex possideret. (G.) Hæc cum ex pactis conventis
 probe intellexisset, num morabatur Rex hodiernus?
 Qvi tamen libertatis Polonæ conservator assertorq;
 hic dicitur. Sed neq; reliqua transsilire fas est, qvi-
 bus cura ejus in fovenda Polonorum libertate emi-
 nuisset. De negociis ad Rempublicam spectanti-
 bus non potest Rex legatos mittere, sine consensu
 Senatorum, & prævia in Comitibus Regni deliberatio-
 ne, si de fœderibus, bello, aut pace agendum sit.
 (H.) Quid horum cum opprobrio Ordinum Reipu-
 blicæ non contempsit Rex? Quot hisce annis in Gal-
 liam, Moscoviam, Daniam, aliasq; regiones missi
 sunt? quos ultro citroque commeantes vident, quid
 egerint, ignorant, nisi quod de novis bellis, novis-
 que fœderibus, egisse ex eventu postea edocti sint.
 Hi mandata accipiunt sigillo Regis, non Reipublicæ,
 obfignata: Senatores in arduis hisce patriæ nego-
 ciis hospites sunt: unus & item alter, quos novan-
 dis rebus & servitio promptissimos expertus est, de
 summa rerum statuunt. Ex horum arbitrio cuncta
 agere, proculcare leges, & armis confidere didicit.
 Cum Ordines Reipublicæ assensissent, ut ex univer-
 so Saxonum exercitu MCC in custodiam corporis
 reti-

C

am
 non
 sa-
 um
 nifi
 e sa-
 ur-
 situ
 s de
 in-
 no-
 bus
 tu-
 rtu-
 fio-
 oq;
 no-
 etio
 Var-
 um
 van-
 rem
 tem,
 nno
 IDC



retineret, quo eo citius reliquis exonerarentur, non modo nullos dimisit, sed etiam eorum numerum ad duodecim mille exauxit, quibus Lithuania misere vastata est, Curlandia exhausta, & postremo Livonia inundata. Nam ipsum Reipublicæ jugulum tunc petivit, cum jus belli ac pacis sibi arripuisset, & immixtis in istam Provinciam copiis, perpetuum inter Svecos Polonosq; pactum abruptisset. Tot modis cum Rempublicam vulnerasset, quis assentatoris hujus protervitatem, & vile adulandi studium, non averfabitur, libertatem Polonam sub hoc Rege effloruisse affirmantis, quæ tamen prope nunc extincta est, aut exitio proxima?

Sed non saniora sunt, quæ de *compositis turbidi interregni dissidiis, & reducta publici Status confidentiâ* subjiciuntur. Siquidem notissimum est, omnes istas turbas & dissensiones, quæ Rempublicam, & præsertim Lithuaniam, hodie concutiunt, ex violenta ipsius Regis ortas esse electione: cui cum non modica, nec ignobilis, Reipublicæ pars repugnaret, neque dari liberis suffragiis locum videret, in contrarias factiones itum est, quas cum lenibus consiliis placare sibi Rex debuisset, accito peregrino milite, refragantes oppressit. In illos, qui adversæ partis duces fuerant, non desti-

destitit alios ex Equeſtri Ordine immittere, ut, ſi poſſet, illuſtres & antiquas domos, quas, ut propugnacula publicæ libertatis, inſenſis oculis intuetur, funditus excinderet. Hinc origo omnis diffidentia, quæ inter præcipuas quasdam familias fervet, quam Rex adeo non cupit tollere, ut, ſubjectis occulte facibus, eandem nutrire non deſinat. Neque minus vanum eſt, quod de *Porta Ottomannica ſola armorum oſtentione ad deponendum bellum compulſa* gloriatur; cum ex laude proſtigati feliciter belli Turcici tantillum ſibi decerpere nequeat Rex, quin in alienam gloriam involaverit. Qvi enim ipſe terrorem Turcis injiceret, cujus temeritatem inſigni clade in Pannoniâ caſtigaverunt? Annon rectius incomparabili virtuti Regis Johannis tertii, viribusq; Reipublicæ Polonæ, & Fœderatorum, quidquid contra Turcas proſpere geſtum eſt, tribuendum, qvi opes horum non una ſtrage dudum afflixerant? Conditiones proſecto pacis Turca prius obtulerat, quam hic Rex fieret, qvi, præter oſtentionem, nihil ad hanc rem momenti attulit. De negotio *Elbingenſi, per amicos tractatus, cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico ſopito*, rectius longe ſiluiſſet. Quid enim gloriæ inde Regi, aut Reipublicæ, acceſſerat? Nemo dubitat, quin, ipſo non inſciente &

connivente, Elbinga intercepta sit, ut Saxones jam
 jamque finibus Regni exterminandos retinendi cau-
 sam haberet: impedivisse postea constat, ne contro-
 versia ista tolleretur. Quid vero istis artibus effectum
 est aliud, quam ut ab Electore ab debitum agnoscen-
 dum ac persolvendum compelleretur Respublica,
 pretiosamq; Regni suppellectilem ei oppignerandam.
 Tandem gloriosa hæc Regis facinora convenienti
 prorsus elogio exornat, Ipsum dum hæc patraret, *non
 aliud intendisse, quam alta frui quiete, & tota Christianita-
 te in gremio pacis recumbente, eadem dulcedine otii gentes sibi
 a Deo commissas, post tot tristia & incommoda, solari.* O
 Columen audaciæ! cui veteratoria hac dicendi ra-
 tione persuadebit, pacem Regi Poloniae curæ cordi-
 que fuisse, quem tot indiciis constat pacem neque co-
 gitasse unquam, neque tolerasse? Nisi enim vehe-
 menti dominationis æstu absorptus, in illicita ruisset,
 tranquillitate ac otio adhuc orbis Christianus fruc-
 retur, qui tot atroces belli tempestates eluctatus, in
 novos iterum belli turbines, ipsius potissimum cul-
 pã, abripi se & sentit & ingemiscit. Frustra pulve-
 rem prudentum oculis objicit: apparet fucus, pa-
 tent acta Regis, nemini ignorantur. Poloniam is
 dulcedine otii solari adeo non cogitavit, ut a se inte-
 stinis

stinis turbis haecenus vexatam externo etiam bello, cuius exitus incertus est, implicare voluerit.

Enimvero nemo invideret, frustra tantum verborum apparatus hic prodigi, Regemq; Poloniae male consutis laudibus, si innocuae fuissent, in caelum ferri: attamen cum, per injusta eius praeconia, viam sibi ad vituperandos Svecos sternere, inq; re manifesta nugari non erubesceret, paucis coarguenda erat vanitas hominis. Ad convicia enim mox conversus, sanctiores curas, quae apud Regem scilicet Poloniae pro tranquillitate publica excubabant, Svecorum culpa elusas esse criminatur. Quorum paci semper adversus infestusq; animus, rupto saepius foedere Olivenfi, multisq; apertae hostilitatis contra Rempubicam indiciis testatis, tum per temere erecta munimenta in ducatu Holsatiae, & superimmissas copias offenso Rege Daniae, perpetuo Polonorum Foederato, & novissime copiarum suarum, quae circa Polangae portum desudabant, innocenti impetitione, (quid haec verborum stribligo?) Ipsum ad arma provocasset. Quae acervatim hic proponuntur summa accusationis capita, facili negotio semel elidi possent, si simplici labore defungi liceret: verum cum eadem, per totum libellum sparsa, saepius ingeminentur, ne repetita toties responsione, fastidium satietasq; lectori obortatur,



tur, sigillatim quæq; infra, ut meruerant, æstimanda
veniunt. Inficetâ enim partim sunt commenta, par-
tim in Svecorum invidiam, cavillatorum more, de-
torta, ut Svecos Polonosq;, quorum concordia per-
niciosus suis in Rempubicam destinatis obstat, mu-
tuo bello committeret. Istos enim fortassis non ab-
surde credit, nunquam æquis animis esse passuros, ut
veterem regiminis formam evertat: horum quoq;
res ita esse comparatas, ut plurimum fiducia in Sve-
corum amicitia collocare possint, cum præsertim na-
tiva quædam & perpetua ratio utramq; gentem pro-
piori amicitia nexu conjunxerit, quæ, interveniente
privata Regum causâ, de hæreditate Regni Sveciæ
contendentium, cum non exiguo ejusdem damno
olim rupta, feliciter tandem Olivæ coaluit, & extin-
cta jam apud Polonos Gustaviana stirpe, unde fons
omnium dissidiorum, non temere solvi posse vide-
batur. Quæ cautionis instar amplissimæ esse pos-
sunt, Svecos infesti nihil in Rempubicam moliri,
quam florentem & prosperam esse non ipsorum mi-
nus, quam Polonæ gentis refert: adeoq; quæcunq;
hic de indiciis hostilitatis, & infenso Svecorum ani-
mo, jactantur, a calumnia ejus liquet proficisci, qui
bel

bella ex bellis serere, & novis ambos populos turbis molestiisq; involvere, e re sua esse putavit.

Atq; ut hunc scopum attingeret, nihil inexpertum omisit. Majorum jurgia restaurat, & vetera odiorum semina, quæ Olivæ abolita sunt atque extincta, resuscitare consultum duxit: cum tamen ista siue justa fuissent, siue minus, ad hujus belli justitiam, quæ tota ex novissimi pacti tenore dijudicanda est, nihil quidquam faciant. Si demonstrare Rex potuisset, istud pactum à Svecis ruptum esse, Sibiq; ab Ordinibus Reipublicæ istius vindicandi necessitatem impositam, quid opus ea, quæ sesquialtero abhinc seculo gesta sunt, cum tanta Svedici nominis infestatione repetere? Sunt ista majori animorum contentione olim disceptata, quam ut replicari debeant; tot etiam incorruptis literarum monumentis mandata, ut pravis insulsisq; inauditiunculis convelli nequeant. Atqui dum veteres annales pervolveret, procul dubio observasset, quod ei, si patriæ amans esset, silentio neutiquam premendum, omnium cladum, quæ Sveciæ Poloniæq; Regna aliquandiu affligerant, hanc esse originem, quod Respublica Polona, privatis Regum suorum dissidiis se ingessisset, turbatoribus quibusdam, ut nunc fit, spes eorum magna
vani-



(24)(90)
vanitate inflantibus. Ex iis igitur, quæ olim gesta sunt, satius fuisset documentum popularibus suis capere, unde tot mala in Poloniam redundassent, quam perverse eadem, ad exulcerandos eorum animos, commemorare, noviq; & forte gravioris, belli tubam inflare. Quamquam vero ista ex clarissimorum ingeniorum laboribus, quos nulla ævi, aut hominum, malignitas deteret, notissima superfluum videtur nunc repetere: quoniam tamen eorum memoriam refricando, multa passim de Livonia injuste a Svecis occupata deblateret, obiter illa, & tanquam in transitu, perstringere visum est.

Livoniam, cum vicinis Provinciis, Svecorum imperio antiquitus paruisse, eorum testium fide constat, qui propius ab illa ætate vixerunt, & quod extranei, insimulari nequeunt quidquam Svecorum gratiæ dedisse. (I.) Cum seculo post natum Salvatorem nono jugum detrectare videretur, virtute Olai secundi, Regis Sveciæ, iterum perpacata est, tributis & obsidibus imperatis, perstititque inde in veteris imperii reverentiâ, per trecentos circiter annos: quamquam Æstonia circa finem seculi etjam duodecimi tributa pependisse legitur. (L.) Qua tempestate cum malo civis discordiæ Svecia laboraret, & mox Finnis, qui rebel-

rebelles facti, domandis distringeretur, Livones laxius
habiti, piraticis lembis maria late percurfare cœpe-
runt, ipsi interea Danorum, Russorum, aliarumq; fini-
timarum gentium direptionibus non semel obnoxii.
Accesserunt simul Germani, qui Visbyam in Goth-
landia permutandis mercibus commeari soliti, tunc
autem tempestate, an lucri cupidine in finem Livo-
nicum delati, cum accolis amicitiam dextrasq; jun-
gunt, facto foedere, ut tuto illuc merces suas adpor-
tare possent. Reversi Meinhardum, qui gentem fe-
ram religione Christiana imbueret, secum advexe-
runt. Huic successit in eodem munere Bartoldus,
& inde Albertus, qui more Curia Romanæ, a qua E-
piscopi constituti erant, quos verbi cœlestis suavitate
trahere debuissent, ferro ac cædibus ad sacra Christia-
na cogere maluerunt, accitis non paucis e Germania
bellatoribus, Rigaq; ut præsidio adversus irritatos
esset, munita. Brevi autem urbs efflorescere, con-
fluente illuc cum aliunde, tum Visbyensium multi-
tudine: contra indigenæ tantam in propinquo mo-
lem surgere videntes, ferocius resistere. Quorum
viribus impar Albertus, anno quarto supra seculum
duodecimum, equitum Ensisiferorum Ordinem ac-
cessivit, qui paulo post in regulam societatemq; e-

Dollus occipit V. qui

gesta
suis
sent,
ani-
bel-
rissi-
aut
uum
me-
juste
vam
im-
stat,
anei,
æ de-
n no-
undi,
ofidi-
rii re-
quam
ibuta
malo
s, qui
rebel-



quorum Cruciferorum, qui in Prussia res gerebant,
 transeuntes Livoniam, continuis incolarum caedibus
 perdomitam, certis legibus inter se diviserunt. In-
 terea Sveci recuperandi veteres provincias curam non
 abjecerunt, Curoniam in primis, anno MCXC, navi-
 bus adorti, sed non alio successu, nisi ut Aestoniae par-
 tem, sicut paulo ante dictum, ad priscam stipendio-
 rum consuetudinem revocarent. Interjecto tempo-
 re Viciam receperunt, regnante Johanne secundo,
 Sveciae Rege: (M.) sed cum domi Folcungorum se-
 ditio glisceret, foris autem Tavastorum bellum ur-
 geret, a suis destituti, rem minus prospere gesserunt.
 Circa idem tempus, plures per Livoniam Episco-
 patus constituti sunt, qui in numerum Episcopo-
 rum Germaniae paulatim recepti: & cum Aestonia
 prius, inde Livonia, a subjectione Prussica liberatae
 essent, Plettenbergius Magister Ordinis, in classem S.
 Romani Imperii, anno MDXXV. relatus est. Cum
 in hoc statu res esset Livonica, intestinis dissidiis agi-
 tari coepit, & labascere. Quod Basilides, Russorum
 Monarcha, tanquam e specula contemplatus, scissam
 in factiones Livoniam, & invalidam illato bello, pe-
 ne subjugavit. Contra hunc cum a Caesare & Ger-
 maniae Ordinibus auxilium Livones flagitarent, Ca-
 rolus V. Turcico bello tunc occupatus, Sveciae Regis
 opem

opem & tutelam eos implorare aurea bullâ iussit. (N.)
 quæ mandata a Ferdinando I. & Maximiliano II. Cæ-
 saribus repetita sunt. Itaq; cum Moscus, expugna-
 tis præcipuis munitionibus, terrorem late circum-
 ferret, ipsisq; portis Revaliæ immineret: contra Da-
 ni opem ferre recusarent; Ketlerus, Magister Ordi-
 nis hujus ultimus, neqviret; Revalia & Nobilitas A-
 stonica, præceptis Cæsaris obtemperantes, missis in
 Sveciam Legatis, Erici Regis tutelæ se permittunt, &
 cum aliter non reciperentur, ejus potestati ultro se
 tradunt. (O.) Reliqua pars Livoniæ à Ketlero, qui
 Curoniam sibi retinuit, persuasa, mandato Cæsaris
 insuper habito, Polonis paulo post se dedit. Ultriq;
 Regno ea de causa grave & diuturnum cum Mosco
 bellum erat, quam maxime indignante Provincias
 suæ spei destinatas, & jam maximam partem subju-
 gatas, sibi eripi. In Svecos autem eo majori irâ fe-
 rebatur, quo fortius se ipsi opposuissent, qui, cessan-
 tibus Polonis, soli vim ejus aliquandiu sustinuerunt,
 & feliciter fregerunt; quorumq; armis, quod in Li-
 vonia, quam universam, excepta Rigâ, subegerat, gle-
 bam tunc temporis retinuisent Poloni, merito ad-
 scribendum. Mosco igitur tunc multa loca adem-
 ta, Polonis nulla: sed cum postea Sigismundus Rex,

Polonorum opibus adjutus, Svecos ex Livonia lace-
fere non desineret, his occasionem dedit reliqvas par-
tes occupandi.

Ex his igitur, quæ strictim indicata sunt, primum
liquet veterem Svionum provinciam esse Livoniam,
injustis autem Equitum Teutonicorum armis occu-
patam, cum Religionis propagandæ studium idone-
am belli causam minime præbeat, atq; a sana ratio-
ne, mitissimisq; Christi præceptis quam longissime
abeat, gentem aliquam, quod Christiana dogmata
tardius amplectatur, igne ferroq; persequi & subju-
gare. Si objiciatur, vitium hoc ipsa ætate quasi de-
tersum esse, & longa temporis præscriptione evanuis-
se, quidquid juris Sveci in has regiones habuissent:
enim vero quod in privatis causis receptum est sicut
de integris regionibus, quæ inter duos populos con-
troverſæ sunt, temere non est pronuntiandum; ita
æquum utiq; potuerit censei, ut, labante jam Repu-
blica Ordinis Teutonici, ad veteres potius dominos,
quorum imperio subducta fuerat, Livonia quasi post-
liminio rediret, quam in alterius cujuscunq; potesta-
tem concederet. (P.) Deinde ut isto titulo non ni-
terentur Sveci, concessione tamen Cæsarum, quo-
rum in Livoniam supremum Ordo dominium agno-
scebat,

scebat, rite illam susceperunt: contra eorundem in-
 jussu eam occuparunt Poloni, iniqua Ketleri nundi-
 natione, qui fiduciarium Provinciam ad alios, quam
 supremus jussisset dominus, alienandi potestatem
 nullam habuit. Porro cum Æstonia dicto audiens
 Imperatori, ad Svecorum opem confugisset, adparet
 falso hic a parte Regis Poloniæ tradi, *Ericum Svecorum*
Regem, non attentis vinculis pactorum & necessitudinis, Li-
voniam primum invasisse, & per proditionem ac fraudem Du-
cis Mekelburgici, Coadjutoris Archiepiscopi Rigensis, Revaliam
cum Æstoniâ violenter interceptisse. Nugæ sunt & apinæ,
 Quæ enim necessitudo erat, quæ lex, quod pactum,
 quæ Ericum ab Æstoniâ in fidem recipienda prohi-
 berent? Quod Ketlero, inconsulto Cæsare, cum Po-
 lonis convenerat, per se irritum erat: neque Regem
 Sveciæ ullo jure stringere poterat, quin Æstios sup-
 plices & afflictos in clientelam susciperet, quatuor
 mensibus ante se suaq; ipsi dedentes, quam Livi cum
 Polonis pacti erant. Quod si neglexisset Ericus, isto-
 rum subjugationem sibi valde perniciosam fore vi-
 debat, attracturam ad istam maris Balthici oram vici-
 num ferocem & præpotentem, qui Revalia potitus,
 cum suis Regnis, tum finitimis late populis, terrorem
 clademq; inferret. Sed neq; ista Ketleri pactio Æ-
 stios

stios obligare potuit, ut a monitis Cæsaris recedentes, in viso imperio, & ad defensionem sui status inepto, se submitterent. Quam diu a Magistro Ordinis protegi poterant, in ditione ejus permanebant: postquam ad incitas redactus, externum ipse patrocinium circumspiciebat, licuit desertis, & in acie, ut dicitur, novaculæ constitutis, salutem suam quocunq; modo expedire. Eo enim fine talis societas ab initio constituta intelligitur, ut mutuis viribus consiliisq; omnium, qui ea continentur, vita & incolumitas defenderetur, non vero ut, compage ista per vim externam luxata, iidem status idem postea subirent dominium. Quin ipsa necessitas jus dat statui uni, seu parti civitatis, se a reliquo corpore segregandi, si aliter excidium declinare nequeat, atque id tanto magis, si a cæteris ejusdem civitatis membris idem discrimen suo interitu non sit depulsura. Atque istud vinculum, quo capiti & reliquis membris Æstia connectebatur, solutum penitus erat, cum totum Reipublicæ corpus dissiparetur, & Kerlerus in aliena potestate constitutus, ejurata ordinis Teutonici regulâ, desineret esse Magister ejusdem & magistratus. Quod is se traderet Polonis, arbitrato suo egit. Tradiderunt se Danis Oesilia, & Piltensis in Curonia regio.

Cur

Cur Æstii non liceret Svecorum imperium eligere, a quibus auxilium præsentius, & certiora commerciis suis commoda proventura prævidebant? Quare non violenter intercepit, quemadmodum hic fingitur, Æstoniam Ericus, sed sponte se suaq; offerentem, & dedititiam in fidem admisit: quod Svecis non parvo sanguinis impendio stetit, cum pro illius defensione, continuatis per integrum seculum bellis, adversus immanissimos hostes depugnarent, atq; ita illius Provincia, quæ ipsorum quondam fuerat, nuper vero suæ tutelæ permessa, atq; dedita, possessionem novo insuper titulo sibi acquirerent. Tum quoq; illud a vero abludit, quod de fraude Ducis Meclenburgici tradit, cum temporum istorum gnari noverint, biennio demum ab Æstoniâ dedita eundem in Sveciam trajecisse, postquam in Germania Cæsaris opem, ad Polonos Livoniâ ejiciendos, nequicquam implorasset. Tanto minus Ericus opus habuit cum illo de Æstoniâ, quæ dudum in suam potestatem pervenerat, intercipienda conspirare.

Ejusdem notæ sunt, quæ de irruptionibus Svecorum tempore induciarum factis, & abdicato Rege Sigismundo subjiciuntur, quæ more suo perverse narrat, causas justissimas, quibus ad hæc impulsifuerant,

sent,

sent, astute subticendo. Sciunt autem secula, & incorrupta annalium fides testatur, Polonos omnia detrimenta, quæ a Svecis passi sunt, suo jumento sibi accersivisse, dum inconsulto fervore privatas Regum lites suas facerent, eorundemq; pertinaciam opibus suis & auxiliis in Svecorum perniciem alerent. Nam ut innocentes ab initio fuissent Poloni, bellum quoque apud Sigismundum Regem deprecari essent, quod prudentiores eorum fecisse facile credi potest; immanium tamen facinorum, quæ Rex ipse in Sveciam perpatraverat, participes & adiutores exstitisse Polonos, atque in societatem belli contra Svecos postea venisse sciunt quoq; secula. Quid multis opus? Piasecius, luculentus rerum Polonicarum scriptor, testis est: *Polonos, quantumvis ipsi sibi à tali bello præcauerent, vel inuitos illi implicatos fuisse, præsertim studio privatorum, qui ea via gratiam Regis demereri contendentes, inscia Republicâ, pacta cum Regno Sveciæ avita incaute abruperunt.* (Q.) Nam Sigismundus truculentis quorundam consiliis præceps, cum Svecos pessundare, leges Regni evertere, conscientis vim inferre, & armis hostilem in modum patriam suam violare non vereretur, eum ejusq; posteros communis Ordinum Sveciæ consensus indignos sceptro judicavit. Hinc vindicta &



& ira ardens, hostes toto orbe Svecis quærerere non de-
stitit, atque, ut in Finlandiam & interiora Sveciæ pene-
traret, Æstioniam per Ducem suum, Farensbachium,
prius occupandam statuit, qui illic irrumpens, co-
pias Svecicas, teste Piafecio, non semel lacecessivit. Quid
igitur injuste a Carolo Rege, qui Ducis Sudermannici
nomine hætenus claruit, factum, si vim vi propul-
saret? Ulturus hanc injuriam, & Æstionie direptio-
nem, anno MDCL, cum valida manu Livoniam in-
greditur, omniaq; munimenta & urbes, præter Ri-
gam, in suam potestatem redigit, pronis adeo Livo-
norum animis, quos Polonici imperii pertædebat,
ut eodem anno Revaliæ congregati, Sigismundo &
Regno Poloniæ obsequium renunciarent, Svecorum
vero amicitiam perpetuo foedere amplecterentur.
(R.) Hunc fructum temerarii belli Polonia cepit,
pravis quorundam instigationibus in illud allecta;
quod varia fortuna gestum brevis quies composuit.
Sed non simul conquievit Sigismundi animus, qui
infesta quævis in Svecos machinatus, duces copia-
rum corrumpere, & sparsis per Sveciam libellis, dis-
fensiones inter cives, adversus Regem seditiones ex-
citare laboravit, & cum dolus non succederet, per
Sciencium e Lithuania irrumpentem Æstioniam fer-

E

ro



(34)

ro & igne crudelissime vastavit. Quæ re motus Gu-
stavus Adolphus, ut hostem averteret, anno
MDCXVII, armata classe in Livoniam tendit, &
recuperata Dunemunda, & aliis arcibus, petenti Si-
gismundo inducias in biennium indulsit, ea lege, ut
interea de perpetua pace ageretur. Verum Sigis-
mundo nihil minus cordi erat, qui bello Turcico ce-
leriter, uti opinabatur, conficiendo tempus lucrari
voluit, ut totis deinceps viribus Sveciam aggredere-
tur. Itaque, decurrente induciarum tempore, per
Jacobum Gardiacum, Æstoniæ præsidem, Chodcevi-
cio, qui Livoniæ præerat, significavit Rex Gustavus,
se aut pacem perpetuam, aut longiores inducias ex-
petere, neque diutius in ambiguo hæreere velle. (S.)
Contra quæ cum Sigismundus tergiversaretur, Gu-
stavus, MDCXXI, mense Augusti, integro fere post
inducias finitas anno, in Livoniam classe advectus,
Rigam, quæ victoriis Svecorum hætenus moram fe-
cerat, expugnat. Quid est igitur, quod de irruptio-
nibus Svecorum declamet, quos Poloni priores la-
cessiverant? nisi Privilegio cautum Sigismundo de-
monstraverit, licuisse ipsi Svecos impune infestare,
hos vero prohibitos vim amoliri. Quid inducias
stabilitas crepat, quas non tantum sancte Sveci ser-
vabant,

vabant, sed & pacem serio expetebant, tot nunciis literisq; ad Regem Senatumq; Poloniae missis? Sed cum nihil proficerent, Sigismundum sponte sua infestum, Polonis ipsis exstimulantibus, quis Svecis vitio verterit, si illudi sibi non paterentur? Nihil Polonis inopinum accidit, qui, impios Regis sui conatus juvando, facile praevidebant se iusta Svecorum arma in se conversuros.

Sed cum pulcrum sibi duxisset auctor cum larvis luctari, non mirum est, si Caroli Gustavi, Regum clarissimi, memoriam vellicare non omiserit: qui sicut injurias Svecis a Sigismundo illatas refricare noluit; ita eandem ex filio importunitatem tolerare non potuit, documento edito, fortibus viris non temere insultandum. Quae maximum Regem in ultionem stimulassent, publicatis tunc scriptis, toti orbi manifestata sunt, & notiora, quam ut hic repeti debeant. Ex iis constabit non rupisse inducias Carolum, sed a Johanne Casimiro, Rege Poloniae, ruptas ultum esse: nec *geminata perfidia*, sed solita Svecorum, totq; bellis notissima, virtute ac fortitudine insolentiam hostis & nefarias molitiones retudisse. Neq; pax Westphalica, quae hic citatur, Polonos tutari potuit, quae sicut ipsis licentiam non dedit, saevissima

s Gu-
anno
, &
nti Si-
ge, ut
Sigis-
co ce-
ucrari
edere-
, per
dcevi-
tavus,
as ex-
(S.)
Gu-
e post
ectus,
am fe-
uptio-
res la-
do de-
estare,
ducias
eci ser-
abant,



fima quæq; in Svecos perpatranda; ita Svecos durissima ista lege non adstrinxit, ut injurias quasvis ad lubitum Regis Poloniæ gratis devorarent. Imo hujus arrogantia eo majorem incurrit reprehensionem, quod id temporis præcipue, cum Moscorum & Cossaccorum armis peteretur, novis Regem Sveciæ injuriis provocaret, cujus amicitia conservata, non modo istorum progressus sistere, sed etiam imminentem cladem declinare facillime Polonia potuisset.

Sed non satis est præteritorum temporum memoriam falsis narrationibus depravare, nisi affatim quoq; maledictorum ingeratur: quasi ad justitiam hujus belli orbi adprobendam, fidemq; fabulis suis conciliandam, apprime faceret, si convicia ex trivio arrepta plenis manibus in gentem Svecicam spargeret. Mira in nugis excogitandis solertia nativo quodam genio tunc videtur animari, & quasi se ipsam vincere, quoties probris coacervandis impenditur, quorum nova quædam, & inexhausta, ubertas quavis paginâ repullulat. Svecos perfidos, fœdifragos, pacis ruptores, & agresores appellare pudor non est, quos quietos, & nihil minus quam bellum meditantes, turpi versutiâ circumvenit Rex Poloniæ. Sed hanc petulantis calami lasciviam magno animo contemnit

temnit

temnit natio Svecica, quam & pacis artibus, & bellica
laude vigentem, sicut nemo impune laceffivit; ita
ipsa amicitiae foedera sancte colendo puram inte-
gramq; famam servavit. Tot conjuratis finitimo-
rum populorum odiis saepe petita, gloriam a mayo-
ribus relictam fortiter asseruit, armaque invidendis
successibus late circumtulit, nulla haecenus perfidiae
labe temerata. Atqui veteris aevi memoriam repli-
canti occurret cruenta Uladislai Jagellonidis umbra,
qui violatae pacis, quam Amurathi, Turcarum Impe-
ratori, jurejurando confirmaverat, horrendas poenas
luit, miserabili Christianorum strage ad Varnam cae-
sus, anno MCCCCXLIV. Geminum Friderici Au-
gusti exemplum annalibus posthac inserendum,
quem non immerito quis miretur, cujus factum imi-
tatur, exitum non perhorrescere. Qui pacem, post
tot bella mutuis utriusque gentis cladibus gesta, soli-
cita demum Regis Christianissimi opera stabilitam,
& ab Ordinibus Reipublicae Polonae solenniter con-
firmatam, rupit & infregit, nulla injuria provocatus,
non legitimo modo, sed ignobili dolo usus, Svecos
pactis confidentes, & arctioris amicitiae simulatione
deceptos subito bello adortus est, Livoniâ prius di-
repta, quam constitisset, cujus jussu & auspicio tam

atrox facinus patratum esset. Si hoc erit *summâ in-*
niti iustitiâ, & *juste ac legitime processisse*, apparet apud
Regem Poloniæ *justi nomine venire*, quidquid con-
tra jus fasq; , contra *sacram Pactorum fidem*, libido
suggerat, aut *ocasio svadeat*. Et quomodo illum
ultorem & assertorem publica exposcit vindicta, qui privata
lubidine ad bellum *stimulatus est*; & non modo
nullum ad id a Republicâ *mandatum habuit*, verum
etiam eo ipso ipsam Rempublicam *convellere desti-*
navit? De *repentino armorum progressu* gloriari parum
honorificum, cum is dolo, non *virtuti debeat*: nec
magna res erat provinciam *præsidis nudam*, atq; , ut
in profunda pace, nullius mali *timentem*, improvise
incurfione *vastare*, & *castellum unum intercipere*.
Et quis noverit, annon iste *successus longam malo-*
rum seriem Regi Poloniæ nectat. Sed præterquam
quod *excelsi animi principes maluerunt semper se*
fortunæ pœniteret, quam *puderet victoriæ*; degene-
resque ejusmodi *fraudes*, quibus *fides publica*, &
communis hominum societas læditur, viliorum ho-
minum *solertiæ*, non Regum *justa arma gerentium*,
esse *judicarunt*: ad ultimum quoq; *fortuna temerita-*
ti non suffecerit. Sed quis miretur *profanatam ab*
ipso sacrosancti fœderis Religionem, qui *profari au-*
det,

det, nullam partem justitiæ ab hoc instituto alienam esse; at-
que se plane confidere divinæ clementiæ, quod justam de his,
qui oderunt pacem, repetet ultionem: a quo stat jus, ab eo
Deus! Est profecto Deus, qui, quæ mortales gerimus,
videt & audit: nec se illudi patitur. Si serio hæc
tradidisset Rex Poloniæ, si credidisset; an temere
hoc bellum esset motum? Verum quoniam Deus justas
ab eo poenas expetiturus sit, qui, perfide rupto socie-
tatis humanæ vinculo, tot innocentium hominum
vita ac sanguine prodige ad suam cupidinem abuti-
tur, sicut Religione Christiana imbuta non dubitat
S. R. Majestas, & proinde ejus providentiæ, majori
fiducia, hujus belli exitum committit; ita ut Serenis-
simi pactorum Olivensum Sponsores, & reliquus
Orbis, manifesto cognoscant, quam longe hæc armo-
rum & violentiæ libido non modo a justitia, sed et-
iam omni juris imagine recedat, non detrectat pro-
vocantem ad tabulas Olivenenses sequi, convicturas
ipsum multarum calumniarum, summæ injustitiæ,
& violati istius foederis, quod inter Regna Sveciæ ac
Poloniæ sanctum perpetuumque esse oportet.

Itaque ad articulum primum pedem figere lubet:
quo constituitur ut pax sit perpetua, vera sinceraque amicitia
inter Reges, Regnaque Sveciæ ac Poloniæ, ita ut altera pars
alteri



alteri posthac nihil hostilitatis aut inimicitiae clam aut palam
 inferat, nec alterius hostibus auxilia quocumque nomine praestet,
 nec cum alterius hostibus foedera huic paci contraria ineat, nec
 quidquam in alterius status diminutionem per se vel per alios
 moliatur. Contravenisse Svecia arguitur. Quo pacto?
 Certo foedere, inquit, quod per Legatum suum, Comitem
 Tott, compilavit, & de facto in anno MDCLXI fidem ob-
 strinxit, auctoraturos Svecos duodecim millium exercitum, ad
 asserendam, & opprimendam armis liberam in Polonia electi-
 onem. Utrum Svecis hic vitio datur? si electionem
 liberam asserere voluissent, laudandum eorum offi-
 cium: si armis opprimere, culpandi sunt. Sed o-
 portet insignem fuisse impostorem, qui Regi Polo-
 niae hoc commentum suppeditavit, tanta cum vitu-
 peratione gentis Svecicae propalandum. Quem li-
 quet non inspexisse unquam apicem istius foederis,
 aut, si inspexisset, mortalium esse improbissimum,
 qui propensissimae erga Rempublicam Polonam vo-
 luntatis pignus, ut crimen laesi foederis, objiceret, at-
 que, ut ipsius verba sunt, *quaevis conservandae pacis an-
 tidota in toxicum converteret.* Nam quemadmodum
 Sveci unice id optant, ut libertas Reipublicae sacra
 tecta conservetur; quod S. R. Majestas arbitratur
 Polonis optime constare: ita cum id temporis, quo

Johannes Casimirus se Regno abdicare meditabatur, perniciem libertati Ordinum machinari quosdam intelligerent, auxilia Regi ac Reipublicæ Polonorum per Legatum suum, Stenonem Bielkium, anno MDCLXI, obtulerunt contra quemcunq; aggressorem extraneum, qui libera comitiorum suffragia armata manu opprimere conaretur. Ecce id ipsum fœdus. (T.) An promptissima hæc offerentes studia, *impio & fœdisfrago ausu conspirasse* arguentur? An *odium ac invidia* talem producant fructum, ut, quos perdere velimus, periculum ab eorum cervicibus depellamus? Nihil clam Rege & Republica actum: nihil occultum. Quo animo erga Rempublicam essent, satis erat Svecis indicare: uti eorum amicitia pro lubitu ipsa poterat. Scilicet in *debellatis animis absoluti sceptri potentiam fundare voluerant* Sveci, qui rebus suis nihil minus conducere semper existimarunt, quam veteres Reipublicæ Polonæ leges mutari aut tolli. Quod cum Rex, Fridericus Augustus, probe intellexerit, nihil est, quod æque animum ejus odio ac ira in Svecos accendisset, quos Reipublicæ non defuturos, forte non immerito, suspicatur, si, quem admodum cœpit, libertatem illius evertere pergat. Exarsit tunc validior hujus offensæ fax, cum fœdere

F

Sve-

palam
restet,
at, nec
er alios
facto?
omitem
em ob-
um, ad
electi-
onem
n offi-
Sed o-
Polo-
vitu-
em li-
ederis,
mum,
am vo-
ret, at-
acis an-
odum
æ facta
itratu-
is, quo
Jo-



Svecis nuper proposito Rempublicam Polonam excludi voluisset Rex Poloniae; S. R. Majestas Sveciae non aliter in illud consentire, nisi ipsa Respublica eodem comprehenderetur. Quod tunc Svecis persuadere nequii, quin apud alios perfecerit, non dubitare poterunt Ordines Poloniae. Compellant Regem Augustum edere capita secretioris foederis, quod, inconsulta Republica, ante biennium inierat: invenient Instrumentum servitutis rite conscriptum esse, & consignatum, quam evadendi non facile via dabitur. Certe, si unquam, sub hoc Rege, quo nocentiores hostem nondum experta est, libertas Reipublicae periclitatur, quae adversus externam vim inconcussa, domesticis insidiis, nisi Deus ex machina, succubuit.

Quae de damnis Illustrissimo Duci Curlandiae illatis tanto cum verborum strepitu intonuit, vana esse, & ad invidiam Svecis faciendam perverse exagitari, ipsa negotii hujus serie constabit. Namque urbi Rigensi, tanquam primae sedi, & praecipuo rerum Teutonicarum in Livonia firmamento, multa insignia Privilegia, florente ea Republica, concessa sunt; praecipue autem ut unicus per istos tractus portus hic & emporium frequentaretur. Exstat Innocen-

tii tertii, Pontificis Romani, interdictum, severissime
 vetantis, ne quis, præter Rigenses, mercaturæ gratia
 Semigalliam adiret. Cum illi postea, sociatis cum
 Episcopis & Ordine Equestri armis, Livoniam, Cu-
 roniam, Oesiliamq; debellassent, auctoritate Wilhel-
 mi, Episcopi Mutinensis, Legati tunc Pontificis, anno
 MCCXXVI, tertiam Regionum acqvistarum par-
 tem obtinuerunt, adeo ut eorum territorium ab una
 regione Vindoviam usque extenderetur, ab altera
 Oesiliæ littora attingeret. Atq; ita qui jus commer-
 ciorum & navigationis præoccupaverant, cum non-
 dum aliæ istis in oris urbes conditæ essent; iidem
 jam jure domini mercaturam sibi solis in sinu Li-
 vonico vindicare poterant. Quod eorum jus tan-
 tum abfuit, ut interpellarent Præsules, & Magistri
 Ordinis, ut postquam Curlandia cum Livonia & ur-
 be Rigensi in unam Rempublicam coaluisset, pu-
 blicis diplomatibus caverent, ne ulla munimenta,
 aut ædificia, in litoribus istis exstruerentur, quæ Ri-
 gensium commerciis damno impedimentoq; essent.
 Uta est hoc jure suo civitas, per multa secula, non in-
 terrupto; amplissimis insuper exterorum Princi-
 pum, qui incrementa urbis optabant, Privilegiis con-
 firmato, anteqvam Dux Curlandiæ institutus fuisset,

aut Poloni divinare potuissent, se dominos istius regionis futuros: contra quæ Curones ne minimam rationem adferre potuerint, quæ jus hoc tanta vetustate, & longissima temporis præscriptione, subnixum infirmetur, aut liberam ipsis circa hæc littora navigationem olim fuisse ostendatur. Quapropter etiam civitas, ne quis e vicinia, aut peregrinis nationibus, portum suum prætervectus, alio merces adportaret, armatas quasdam naves habebat, quæ ad illicitos portus digressa navigia Rigam deducerent. Ingravescente tandem Moscovitico bello, cum Ketlerus pactus sibi Curlandiam, Polonorum partes elegisset, Sigismundus Augustus Rex, misso cum ad cæteros status Livoniæ, tum ad Rigenses, Legato suo Radzivilo, omnia jura, consuetudines & privilegia, civitati integra & illibata fore solenni pacto sponsodit, idq; antea factum est, quam ultimus Livoniæ Magister Ketlerus, Dux Curlandiæ reclamaretur. Qui, anno MDLXI, religiosum Ordinem principali dignitate mutaturus, in ipso abdicationis actu, remisso Rigensibus juramento, quo hætenus ipsi adstricti fuerant, jura & privilegia pariter intacta reliquit, atque ipsorum arbitrio permisit, utrum Polonorum imperium accipere, an libertatem suam ipsi defendere

re

re mallent. Neque enim statuere aliter ei fas erat, qui precarius ipse Magistratus ista jura, quæ civitas ab antiquissimis temporibus habuerat, tot etiam Imperatorum, Principumq; literis confirmata, mutare nequii, neque Rex Poloniæ quidquam civitati detrahere, ut novo Duci adderet, potuit, aut plus ei cum Rigensium detrimento, qui nondum Regis imperium agnoscebant, conferre, quam is ipse, antequam Dux fieret, habuisset, aut pristinus Curlandiæ status permitteret. Atque hætenus in animum nemo induxerat, ut jura civitatis, in primis autem mercaturæ & navigationis, per Livoniam Curlandiamque, in dubium vocare auderet: sed simul ac novus Dux Curlandiâ potitus fuerat, paulatim assurgere, ad commoda sua respicere, & quovis modo jura urbis ad se trahere cœpit; cui cum se non minus strenue opponerent Rigenses, graves rixæ & contentiones ortæ sunt. Nondum Riga Polonorum imperium venerabatur; libera erat, & sui juris: verum post viginti annorum moram, cum regimini Polonico se submitteret, stipulata sibi antea est a Rege Stephano, ut pristina jura & privilegia salva & illæsa forent, nec ulla in re in posterum imminuerentur; & cum quæreretur insolitis in portibus naves onerari, Duci graviter a Rege inter-

us re-
imam
vetu-
subni-
littora
ropter
natio-
ces ad-
væ ad
cerent.
n Ket-
artes e-
um ad
to suo
gia, ci-
olpon-
iæ Ma-
Qui,
ali di-
emisso
dstricti
vit, at-
norum
efende-
re



interdictum est omni navigatione, & navium onerationibus in Curlandia. Confirmavit hoc Sigismundus, Rex Poloniae, promulgato diplomate, quo vaga ista commerciorum licentia, tam juribus urbis, quam vectigalibus Regiis noxia, severe prohibetur, facta etiam Rigenfibus potestate, naves illicitos portus adentes cum mercibus detinendi; qui & tunc navem pice onustam, in portu quodam Curonico deprehensam abduxerunt, approbante Rege, & adhortante, ut semper ita procedant. Quin & ipse Dux Curlandiae, Fridericus, ad praefectos suos literas misit, quibus operam dare jubentur, ne quid in fraudem hujus privilegii a Curonibus committatur: cui certis conditionibus Rigenfes, anno MDCXV, pacto inito, concesserunt, ut occlusis reliquis portibus, Libaviâ tantum & Vindaviâ merces liberi exportarentur. Quae leviter hic tacta sunt, idoneis literis & documentis firmare facile esset, ni responsum hoc in nimiam molem excreceret: proferre autem ea, quandocunque exigantur, civitas parata est. Hoc vetustissimum igitur Privilegium, quo civitas per tot aetates, antequam in Svecorum venerat potestatem, & deinceps per totum induciarum inter Svecos & Polonos tempus usa fuerat, pace Olivenfi novum robur accepit, cujus articulo

culo decimo quinto jubetur, ut *commercia pristina sint libera & non impedita tam terra, quam mari, & in veteri usu & exercitio, quo fuerunt tempore induciarum, conserventur.* Cum vero nihilominus circa oram, quæ sinum Rigensem spectat, novos portus aperirent Curones, & læpius moniti, cœpto non desisterent, non alia ratione sisti poterat navigatio illegitima, & urbi tantopere damnosa, quam ut naves, vetitis portibus egressæ, caperentur: quæ omnes, secus quam hic traditur, ea conditione sunt dimissæ, ne delictum iterarent. Quo jure suo cum uterentur Sveci, cui injuriam intulisse arguentur? Sicut enim fundum meum, me invito, ingredientem vi ac armis arcere, aut, pignoribus captis, aliisque, modis, ne id faciat, impedire possum; ita quin idem jus in mari, quod dominio meo subjacet, (subjacere autem sinum Livonicum urbi Rigensi jam demonstratum est,) exercere possim, non ratio ulla, aut lex obstat. Cum illud invaderet Curo, Svecus vero propugnaret, uter alterum prius læsisset, eoque facto ipsam pacem Olivensem, cordati judicent. Quis enim Svecis succenseat, si privilegium, ex quo anima civitatis pendet, tanta vetustate subnixum, summis Regibus adprobatum, & pace novissima corroboratum, Urbi nollent ereptum. Quis non horum potius moderatio-

nera-
mun-
vaga
quam
ta et-
s ade-
avem
ehen-
te, ut
ndiæ,
s ope-
rivile-
tioni-
cesse-
am &
eviter
are fa-
excre-
xigan-
ur Pri-
am in
otum
sa fue-
s arti-
culo

rationem laudet, quod in turbatores commerciorum non gravius animadvertissent, postquam continuata insolentiâ Svecos eo necessitatis redegissent, ut si commerciorum usum voluissent salvum, non parvis impensis quotannis litora ista observarent. Non ignorantia juris hujus excusare se poterant Curones, quemadmodum ducentis abhinc annis fecisse leguntur, cum speculatoria Rigenſium navis idem tentantes e diverticulo revocasset. Noverant jura civitatis: pacta legerant: interdictum Gustavi Adolphi viderant: Christinam sua ætate litora ista navibus custodivisse audiverant: quo minus ipsis videri mirum deberet, si eadem jura nunc tuerentur Sveci, non opportunitatem belli Turcici captantes, ut falso objicitur, sed eodem jure longa ante ætate usi. Quam ob rem non ad ullius injuriam, aut latrocinium maris, sicut hic calumniatur, sed ad furtivas negotiationes, quo nomine in literis Sigismundi, paulo antecitatis, veniunt, disturbanda hæ naves destinatæ erant. Quid Gustavus Magnus animo voluisset, temerarium est pronunciare: hoc utiq; certum est, ejus beneficio tam accolas, quam alias nationes debere, quod mare Balthicum, a Duce Fridlandiæ liberatum, tuto nunc navigent. Nec cuiquam, qui vetitis portibus abstinuisset,

set,

set, Sveci liberum istius maris usum inviderent unquam, aut ex litore Curlandiæ dominium ejus arrogandum sibi putaverunt; cum alia longe sint, & solidiora argumenta, quæ sublimius quoddam in hoc mare jus Svecis adstruunt: quorum classibus illud quoque multis ante tempestatibus navigatum fuerat, quam Curonicum sinum peregrinæ naves detexissent.

Quam ob rem nemo est, qui non videat Regem Poloniae suo se jugulasse gladio, cum temere ad Olivam provocasset, quæ non tantum Svecos absurdis ejus & iniquis criminationibus absolvit, verum etiam ipsum gravium injuriarum reum agit, qui contra manifesti pacti Olivenensis verba, clam multa hostiliter, & in Svecici status diminutionem, molitus est, in itisq; fœderibus huic pacto adversis, hostes undequaque illis concitare studuit, & mox nefaria ipse arma intulit. Quamquam, si interrogatur Rex Poloniae, a quo demandatam habeat hanc accusationem, aqua ipsi, ut ajunt, hærebit. Polonos de injuria quæstos esse nondum compertum est: quod tamen Oliva jubet, antequam ad arma veniatur. Quæ ipsius in Republica potestas sit, notissimum est: citra cujus mandatum cum nulla ipsi in Svecos actio competat, negotium ta-

G

men

orum
nuata
ut si
parvis
Non i-
rones,
legun-
entan-
vitas:
i vide-
stodi-
debe-
portu-
ur, sed
m non
hic ca-
nomi-
eniunt,
Gusta-
st pro-
am ac-
Balthi-
cnavi-
stinuis-
set,



(50)

men facit, litemq; per calumniam fingit, cum jure nullam habeat. Negotii igitur gesti gravis ipsi ratio est reddenda, qui præter necessitatem opus periculosa plenum alex suscepit, summamq; rerum in discrimen temere adduxit. Neq; aliter de Curlandica controversia sentiendum, cujus decidenda justam tranquillamq; viam pridem iniverunt Carolus XI. Rex Sveciæ, & Fridericus Casimirus, Dux Curlandiæ, ambo nuper cælo recepti, constitutis utrinq; triumviris, qui Rigæ MDCXCIV. convenientes, jura utriusque partis diligenter excuterent, discernentq;. Et, quæ cum Regis, tum Ducis æquitas erat, sublata esset omnis lis, & sopita penitus, nisi immatura eorum morte decisio eius sufflaminata esset. Longe ab hac moderatione violentus Regis Poloniæ animus, qui ut turbas bellaq; suis destinatis inservientia excitet, alienis se negociis ingerit, propositam tabulis Olivenfisibus rationem, quæ controversiæ omnes pacate tollerentur, ferociter abscindens.

Sed ad articulum secundum progredi juvat, cujus initio mirum nî confunderetur Rex Poloniæ, cum illo ipso injustitiam sibi aperte objici videret. Nam perpetua eorum omnium, quæ acta erant, sancita Amnestia, additur: *ne ulla pars alteri posthac quicquam hostili-*

stilitatis aut inimicitiae specie juris, aut viâ facti, inferat. Ab hac sententia sibi adeo invisa, quasi ostenso Medusæ capite vultum animumq; avertens, ad sventa sibi convicia dilabatur: fracta Livonorum privilegia: inductum in provinciam despoticum regimen: ipsos exquisita carnificina laceratos: eoque æquius esse, ut sub gravi jugo gementes, & querimoniis sydera pulsantes, injustis dominis ac tyrannis, scelus & nefas agentibus, eripiat Rex Poloniae, ex conscientia quoq; & vinculo juramenti obstrictus, ut Livoniam illicite, & contra leges Regni, alienatam recuperet, cum alioquin metui posset, ne, desperatis auxiliis, alium dominum & protectorem cum irreparabili Reipublicæ damno quærat. Hæc confuse & tumultuarie ad Articulos secundum & tertium congesta distinctius expendi necessum est, sepositis atrocissimis conviciis, quorum integra Regi Poloniae palma reservabitur, modo de cæteris, ut spes est, remittatur. Ac primum quidem de privilegiis videndum, quæ violata esse criminatur. Cum varia, stante Republicâ, ab Archiepiscopis & Magistris privilegia nobilitas Livonica obtinisset, indicari oportuerat, quodnam eorum, & quibus modis, violatum esset. Neutrum facit: sed MDLXI, cum Polonis se submitterent Livones, omnia eorum jura & privilegia diplomate Sigismundi Augusti confirmata esse dicit. Verum isti eodem



(52)

eodem anno bina privilegia, prius die XXVIII No-
vembris, alterum biduo post, confirmata esse con-
tendunt: quorum illud vetera jura & prærogativas,
hoc nova quædam & absurda continet. Prius illud rite
confectum ac genuinum, in Svecia nunquam impu-
gnatum est: alterum cum multis indiciis constaret sup-
posititium esse, merito rejectum. Nam præterquam
quod inusitata prorsus formulâ, & modo a Regis di-
plomatis abhorrenti compilatū est, etiam iniqua mul-
ta, & ipsi Romanensium religioni, cujus auctorem
malum dæmonem appellat, injuriosa continet, quod
Regem Ordinesq; Poloniæ, isti Religioni addictos,
adprobasse credibile non est. Ipsum quoq; exem-
plar & autographum nemini visum, nec in Livoniam
pervenisse, ipsi hujus causæ propugnatores fatentur:
quæ vero apographa prolata fuerant, eorum nulli no-
men Regis adscriptum, evidenti argumento neque
ipsum autographum a Rege Sigismundo Augusto
unquam subscriptum fuisse. Accedit illa quoq; rati-
o, quod in designatione privilegiorum, quæ Nicolao
Radzivilo, Livonos, nomine Regis Poloniæ, in fidem
accipienti, paulo post tradebatur, nulla hujus mentio
fiat, quam tamen, si tunc extitisset, necessario fieri de-
buisse nemo non intelligit. Totigitur modis cum
argu-

cretur, quis mirabitur hoc fuisse suspectum? Tanta tamen erat S. R. Majestatis clementia, ut sententiam suspenderet, permisso ipsis tempore inquirendi, an uspiam locorum abditum in lucem protrahi posset. Interea quæ jura & privilegia singuli, aut universi, olim sibi data fuisse ostenderant, inviolata ipsis servata sunt, & ut in posterum quoque serventur, curæ Regibus Svecionum erit.

Quid est igitur, quod privilegia Livonorum imminuta objiciat, quæ omnia intacta habent & illibata? Quam vero maligne eadem sub imperio Polonorum illis servata fuissent, quam multis modis convulsa, plena querelarum monumenta exstant. (U.) Quæ interim vociferationes hic cientur? quæ probra in Svecicam nationem cumulata? Cum inopia criminum usque eò, quod argueret, non haberet, contra notissimam omnibus veritatem calumniari pergit, & tam crudele & intolerandum Svecorum imperium, tam miserandam sub eo Livonorum sortem fingit, ut ex Turcarum annalibus, aut alterius gentis barbaræ historia, declamare hæc videatur. Abest hæc sævitia ab excultis Svecorum moribus, & æqvissimis legibus: abhorret à S. R. Majestatis ingenio, cujus mite justumque imperium non cives tantum, sed etiam vicini



ni populi suspiciunt & venerantur. Sed quemad-
 modum præter atrocissimas exclamations nihil ad-
 fert, quo falsa hæc & commentitia crimina confir-
 mentur; ita, res tam leves ac putidæ quibus verbis di-
 luantur, difficile est reperire. Nisi forte, cum libel-
 lum, quo supplices Livonorum preces, Regis Poloni-
 æ opem implorantium, perscriptæ sunt, vulgaverit,
 non deerunt criminationibus suis stabiliendis testi-
 monia. Atqui cum eundem libellum inter manus
 suas esse, apud Ordines Regni Rex Poloniæ jactaverit
 quare monumentum tam illustre non edidit, cum
 coarguendæ Svecorum tyrannidi, tum minuendo
 nefarii hujus belli odio apprime inserviturum? Sed
 respondebit procul dubio sibi hoc non consultum vi-
 deri, quod liceret tunc Patkuli cujusdam proditoris
 manum ceramq; inspicere, & nomen cognoscere,
 quem, vita probrosum, contubernio suo dignum ju-
 dicavit Rex Poloniæ. Ab hoc enim nequitiæ man-
 cipio hæc commenta, ne quisquam de eorum fide
 dubitaret, hausit Rex: ab hoc persuasus, spem
 Livoniæ occupandæ cepit; hujus etjam consiliis,
 in præclara hac expeditione usus. Est enim
 is vetus ac nobilis fraudum machinator, qui
 puer domestico patris exemplo ad proditionem
 insti-

institutus, cum adolevisset, facile ipsum patrem scelerare & audacia superavit. Primum igitur diplomata falsa supponens, popularium animos pertentavit; sceleris manifestus, clam profugit, ne iudicis sententiam præsens audiret, qua capite damnatus est, inflicta memoriæ ejus sempiterna infamia. Vagus inde & instabilis, cum artibus suis nusquam locus daretur, Regi Poloniae idoneus visus est, quo Livonorum, à quibus occulta se habere mandata nebulo fingebar, animos inescaret. Quare infamem & proditorem non tantum, contra fidem S. R. Majestati datam, recepit, verum etiam honoribus auxit, ut exemplo tam illustri ad seditionem cæteri allicerentur. Verum quæ de hoc Livonorum esset opinio, ex novissimo eorum decreto, quo proditori huic, consiliario suo intimo & carissimo, infamiæ notam inusserunt, si modo in illo, qui ignominiosis flagitiisque antea coopertus erat, novæ plagæ locus esse posset, cognoscere potuit Rex Poloniae. Cui si experimentum nuperum addiderit, quam nihil mutata in S. R. Majestatem constantiâ irruptionem ejus per tulissent, quam fortiter pectora sua inuasoribus opposuissent, quam non minis ac magnis pollicitationibus ad defectionem permoveri potuissent, non dubita-

mad-
nil ad-
onfir-
ois di-
libel-
oloni-
averit,
s testi-
manus
averit
, cum
iundo
Sed
um vi-
ditoris
oscere,
um ju-
e man-
n fide
spem
nsiliis,
enim
, qui
ionem
insti-



bitabit amplius de Livonorum erga se studiis, & quantopere ejus adventum exoptassent, ut Svecorum intolerando jugo eriperentur. Tum quoque discet fidem pactorumque Religionem sanctius paulo in Livonia, quam in sua aula, coli & observari. Ac proinde non vehementer angi animo Rex Poloniae debet, & metuere, ne Livoni, desperatis rebus, tutelam, quam Poloni negaverint, apud aliam gentem quaerant, cum inconcussa illorum fides, & intemeratus in S. R. Majestatem amor & veneratio, facile hunc scrupulum ei eximant, nec sinant dubitare, quin eandem, qua impetum ejus sustinuerunt, virtutem constantiamque quibuscunque aliis, qui eos aggredientur, opposuerint. Sed quemadmodum qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet; ita vero non est simile, ex animo haec Svecis objecisse Regem Poloniae; qui postquam Saxoniam suam antiquo decore spoliaverat, gravissimisque tributis ad incitias redegerat, & in Polonia sub jugum mittenda omnes curas cogitationesque defixerat, causam nullam habuit, quare despoticum Svecorum in Livonia regimen indignaretur. Sed cum decrevisset provinciam quocunque titulo occupare, ex qua rigidas Polonorum cervices domaret, multa etiam invito proferenda

da erant, quo majori æquitatis specie destinata sua te-
geret. Hoc igitur erat, quare tam aspere multa in
addictius imperium dixisset, quod tamen si Livonia
jam ferret, tantum abest, ut tollere illud cogitaverit
unquam, ut in illa ipsam dominationis arcem funda-
re constituerit. Itaque ista ex calumnia profecta sunt: quæ sequun-
tur, ex vaniloquentiâ. Nam ut ostendat non licite
alienatam esse a corpore Reipublicæ Livoniam, quæ
inepte multa & absurde adferuntur! Quæ enim vis
illius argumenti est, quod ex juramento Sigismundi
Augusti ducit? Nam & ille, ut supra ostensum, invito
supremo domino, sibi Livoniam vindicavit; & pro-
missis in isto juramento abunde satisfecit, cum quan-
tum posset, ea quæ Livoniæ adempta erant, & a Mo-
sco occupata, recuperare anniteretur. Neque enim
aliud juravit. Et si maxime aliud jurasset, cum id præ-
stare in ejus potestate non erat, tum temerarium fuis-
set credere, eo ipso Reipublicæ Polonæ satis cautum
fuisse, ne Livonia iterum separari posset: cum nulli
populo id contigit, ut, quæ semel arripuerit, quieta in
perpetuum possessione teneret. Multa enim bello a-
mittuntur, alia pactionibus, alia derelictione in alia-
rum gentium, aut Regum, jus transeunt. **Q**ui omnes

H

mnes



mnes modi, aut amittendi, aut mutandi juris, non
 minus adversus Rempublicam Polonam, quam ali-
 os, valebunt. Nec majoris ponderis sunt statuta de
 non alienandis provinciis, aut juramenta Regum,
 quæ postea facta sunt, de iisdem recuperandis. Nam
 sicut illorum, qui summam in Republica potestatem
 tenent, consensu hæc leges latæ sunt; ita quin contrario
 eorundem actu dissolvi & aboleri possent, nunquam
 dubitatum est. Jam vero illam constitutionem,
 quam, anno MDCXLVI, factam esse dicit, quot mo-
 dis ipsi Polonorum Ordines postea infregerunt?
 Nam ut nihil dicatur de iis, quæ Turcis sunt concessa,
 Electori Brandenburgico, MDCLVII. supremum Bo-
 rusiæ imperium contulerunt, additis quoque Pome-
 rellia præfecturis Lauvenburgi & Buthoviæ. Pactis
 vero Andrusoviensibus, anno MDCLXVII, Smo-
 lensensem Provinciam, Severiam, & totam Ucrain-
 nam trans Boristhenem Moscis tradiderunt, & Kio-
 viam ad certum tempus, quæ nondum reddita est;
 quæ pacta aliquoties postea renovata sunt, & ab Ord-
 nibus Reipublicæ Polonæ confirmata. Quam igi-
 tur futiliter legem dudum antiquatam, & toties infir-
 matam, hic obtendit? Cum vero pacta cum Regi-
 bus conventa de iis, quæ ita tradita sunt, urgeat, quis

in-

interpretari potest, an ineptius, quod ad rem non faci-
ant; an imprudentius, quod Reipublicæ Polonæ in-
decora simul, & perniciofa sint, hæc ab ipso profe-
rantur? Quid enim attinet hic commemorare, quo
juramento se Reipublicæ obstrinxisset Rex, cum alie-
natio Livoniæ, non Regis solummodo, sed totius
Reipublicæ consensu, rite & legitime olim facta esset?
Et quemadmodum iudicis est non de legibus, sed se-
cundum leges iudicare; ita Rex Poloniæ non de pa-
ctis, sed secundum pacta decernere debet. Si adver-
sus hæc contendat, ex isto jurejurando obligari Re-
gem ad omnia, quocunq; modo avulsa fuerint, recu-
peranda, non potest non levitatis & fluxæ fidei Ordi-
nes Reipublicæ incusare, quod, quæ foris cum vicinis
gentibus pacti sunt, aliis & diversis domi sanctioni-
bus convulsum eant, atque simul sanctissimum socie-
tatis humanæ vinculum, & publicam pactorum fi-
dem, tollant. Quod flagitium ab auctore hujus li-
belli sibi imputari, non æquis animis Poloni tulerint,
qui probe vident hac ratione cum omnem apud exte-
ros fidem sibi derogatum iri, tum temerario hoc ju-
ramento, tanquam publica bellorum tubâ, non tan-
tum Svecis, verum & vicinis simul omnibus, quibus
cum Polonis olim negotium fuerat, bellum indictum
esse;

esse; siquidem ad jusjurandum Regem adegissent, ut
 contentâ pactorum solennium Religione, quæcunq;
 alienata, sine discrimine, ad vetus Reipublicæ corpus
 aggregaret. Si hæc Polonis mens fuisset, cum Regi
 suo præjurassent, eam tegere consultius duxissent,
 quam vicinorum cognitioni apricari, qui nupera in
 Svecos perfidia moniti, perinde sibi consilia ceperint.
 Profecto nemo non diceret pollucorum fidem, si
 sanctissima foedera per Reges suos rescindi non tan-
 tum vellent, sed & juberent. Sed neque cum gentis
 integritate hæc illusio convenit: nec jurata promissio
 Regem valide obligaret, cum jurejurando, cui testis
 Deus advocatur, honesta tantum & recta sanciri de-
 beant, non fraudes & violationes foederum. Quale
 jusjurandum qui verbis conceptis juraverit, im-
 pie quidem facit; sed geminat culpam, si jura-
 tum impleverit. Ac proinde recte Philo Judæus:
*Sciat, quisquis ob juramentum injusti aliquid molitur agere,
 non se jurisjurandi observantem fore, sed potius everso-
 rem jurisjurandi. Addit enim culpam culpæ, & quo abstinere satius
 fuerat, actum illegitimum. Quare ab injusta actione absti-
 nens, Deum veneretur, ut, quæ ipsi est maxime propria, mi-
 sericordiam ei impertiat.* Sed pergit argutari: Ordines
 quidem Livoniæ, per pacta Olivensia, obedientiæ
 vin-

vinculo & fidelitatis sacramento exsoluti sunt: attamen idem a juramentis Regum, pactis conventis, & obligatione totius Reipublicae, Regem & Rempublicam Polonam non exsolverunt. Quid ergo? Respublica Polona juramento, quo obstricti quondam fuerant, exsolverat Livonos: hi in Svecorum verba jurejurando adacti sunt: & nihilominus veteri juramento Rempublicam sibi devinctam tenent. Quæ cavillatio hæc est contorta & ridicula? Idem populus Polonos veteri, & Svecos recenti vinculo pariter constrictos sibi habet. Quidni utrisque subjectum esse simul dicat, siquidem hæc obligatio ita reciprocatur, ut, si imperium sit, cives sint, & si cives sint, istius imperii obsequio contineantur. Itaque in Polonorum potestate adhuc permanere Livonos affirmat: quos tamen obedientiæ vinculo, per pactum Olivense, solutos esse fatetur. Oedipo conjectore opus est, qui hoc ænigma dissolvat. Si famulus vel minister a Rege Poloniae dimissus, Regem a se dimissum esse negaret, quamvis ipse fidem operamque suam alii domino addixisset, an ineptientem ferret? Sed cum aperte inficias ire non potuerit scriptor, Livonos, remisso sibi jurejurando, e Polonorum exiisse potestate; allata tamen e tortuoso ingenio quadam dubitatione,

solli

H3

an

ent, ut
cunq;
corpus
n Regi
ssent,
vera in
berint.
dem, si
n tan-
gentis
missio
i testis
iri de-
Qvale
r, im-
si jura-
idæus:
r agere,
m juris-
e satius
ne absti-
ria, mi-
Ordines
dientia
vin-



an Poloni istorum simul obligatione liberati essent, rem turbare, & manifestissimæ veritati tenebras of- fundere cupit. Verum ut ex illius animo scrupulus omnis & sollicitudo evellatur, admonendus est religi- osus homo, rem ita planam fieri, si ad animum sibi revocare non gravetur, Polonos sacramento fidelita- tis exsolvisse Livonos, quod fateatur; hos autem fi- dem Svecis & jusjurandum dedisse, quod illis, quos veteri juramento solutos esse confitetur, li- cuisse non negaverit; atq; ita mutuo consensu o- mnem, quæ uterq; populus olim connectebatur, re- scissam penitusq; sublatam esse obligationem. An rem tam perspicuam & evidentem mente concipit, an nondum etiam Livonos a Republica recte alienatos esse putat, quod *par in parem non habeat potestatem?* Est, unde hæc quoque suspicio ipsi adimatur. Nam si in- vitos e civitate ejecissent Poloni, tum fortassis hanc juris æqualitatem non inepte illis occinere Livoni po- tuissent, oppositoque veteri pacto, ex postulare, non recte se ab illis deserere, cum quibus societatem olim co- ivissent: cum vero hi fidem suam Svecis jurejurando adstringentes, eo ipso obsequium Reipublicæ Polo- næ renunciaissent, satis declaraverant se acquievisse novo imperio, & Polonos simul pristina, quæ inter illos

illos fuerat, obligatione liberasse. Si Rigenses olim reclamantes, & Polonum imperium aspernantes, juramento absolvisset Ketlerus, ut in Polonorum verba adigerentur; (V.) cur Livonos non repugnantes, sed in Svecorum fide ac ditione, in quam jam antea concesserant, perseverare volentes, sacramento Respublica Polona liberare non potuisset? Itaque si sedulo argumentari voluisset auctor, demonstrandum ipsi fuerat, Livonos, postquam à Republica non potuerant defendi, detrectasse Svecorum præsidium: ostendum quoque contradixisse illos alienationi huic; & demum fidem nunquam Svecis dedisse. At cum illi, antequam Olivæ Polonorum vinculo soluti fuerant, jurando se Svecis obligassent & idem postea multis vicibus jusjurandum iterassent, quam nihil sibi cum Republica Polona hodie commune esse putaverint, clarissime ostenderant. Proinde non est, quod vereatur inquietari Regios defunctorum manes, nisi fortassis indignabundi sepulcra sua hodie revisant, quod a successoribus tam prave violentur, quæ religiosissime ipsi, dum corporibus suis circumferebantur, pacti fuissent.

Quamvis igitur ex istis articulis nihil exsugere potuisset auctor, quo venenum suum pasceret, & dilutum

ffent,
as of-
culus
religi-
sibi
elita-
m fi-
illis,
r, li-
su o-
r, re-
An
cipit,
natos
Est,
si in-
hanc
ni po-
non
m co-
rando
Polo-
ievisse
inter
illos



lutum saltem iniquissimo Regis Poloniae facto colorem illineret: insipidis tamen & a re ipsa alienis commentariis sollicitare istos voluit. Qui enim Olivam esse violatam ex articulo tertio demonstraverit, quod eodem Johannes Casimirus jus illud, quod in Regnum Sveciae sibi arrogabat, resignasset? An negabit licuisse Regi hoc facere, aut Svecis in justam ejus declarationem consentire? Quid enim hoc ad Poloniam? Nisi Sveciam quoque inter avulsa reputaverit, quod Reges ex illa oriundos quondam habuissent. Sed cum totius Provinciae possessionem in dubium vocare ausus esset, minus cuiquam mirum videri debet, si ex articulo quarto de terminis ejus controversiam moveat. Limitationem hujus Provinciae Svecorum culpam dilatam esse, ac elusam criminatur. Sed quo argumento hoc probaverit? Quando erat, cum Sveci hanc controversiam componere noluissent? si detrectassent congressum, si a Polonis invitati, litis istius disceptationem elusissent, non essent ferendi: verum cum illi per Legatos suos de hoc negotio Polonos non semel compellassent, in criminantis caput culpa recidet. Vi hujus articuli assignatam sibi Livoniam Transdunanam, & partes Cisdunanas, quas tempore induciarum tenuerant, possi-

possident; ulterius ne latum unquam unquam progressi sunt. Cum a conterminis extrema Livoniae turbari intelligerent, aliquoties à Polonis postularant, ut certo limite fines utriusque regionis distinguerentur: verum hi bellum Turcicum, aliasque causas prætexentes, non opportunam hujus negotii mentionem fieri judicarunt. Cum vero Johannes tertius, anno MDCLXXXI, figendis constituendisque certis terminis pronum se ostenderet, Carolus XI, Rex Sveciæ, moram nullam fecit, quin præfidi Livoniae statim mandaret, ut, quam primum commissarios à Polonis delectos esse intellexisset, ipse quoque viros ad limitem idoneos mitteret: (X.) sed in hodiernum usque diem nemo comparuit. Quo magis falsam esse ejus criminationem liquet, Svecos insimulantis, quod non expectatis Regni Polonici commissariis, limitem determinassent. Nunquam enim hoc factum est; & quo minus rite fieret, mora nulla & procrastinatio apud illos fuerat. Juris autem est, ut cum per eum cujus intererat conventa impleri, steterit, quo minus implerentur, tantundem habeatur, ac si eadem fuissent impleta. Sic quoque calumniam redolet, quod de fundo trium milliarium Duci Curlandiæ erepto tradit. Quicquid enim terræ cis Duna-

colo-
lienis
m O-
trave-
quod
An
ustam
oc ad
repu-
m ha-
em in
nirum
is ejus
s Pro-
crimi-
Qvan-
onere
olonis
non es-
nos de
nt, in
articuli
partes
erant,
possi-



nam Sveci hodie tenent, pactis cesserat: positus pro-
lubitu terminis nullam sibi glebam vindicarant.
Cum vigore induciarum sexennialium, quæ anno
MDCXXIX, factæ erant, Mitaviam Duci Curlandiæ
restituissent Sveci, peculiari conventionem, proximo
anno, limes Svecici cis Dunam agri rite descriptus est,
& Novæ Mundæ attributus totus ille tractus, qui Bul-
deram inter amnem & mare jacet. (Y.) Postea pacto
Stumsdorfiensi, anno MDCXXXV, conventum est,
ut pars utraqve, uti induciis sexennialibus possederat,
ita deinceps possideret. Quæ omnia Olivenfi de-
mum pacificatione confirmata sunt. (Z.) Quam-
obrem tantum abest ut ex hoc articulo quicquam con-
tra pacta Curlandiæ ereptum esse demonstretur, ut ex
eodem planissime constet, tractum Cisdunanum,
quem induciarum tempore tenuerant, optimo jure
nunc quoque à Svecis possideri. Et cum in illo No-
vamunda ad confluentem Dunæ & Bulderæ exstru-
cta est, quæ fronte affirmabit eam in solo Curlandico
repositam esse? Aut qui in contumeliam sui que no-
minis opprobrium Poloni accipient, si Sveci, destru-
cto veteri castello, quod iniquiori loco situm erat, no-
vam in adversâ sui juris ripâ, ad majorem Dunæ a-
mnis

mnis, & urbis Rigensis securitatem, munitionem
excitassent?

Omnia quidem in hac causa nugatoria sunt, &
indigna, quæ tamen videbuntur levia, si ad ea, quæ
subjicit, comparentur. Istis enim prolusisse videtur
ad maturius calumniæ robur: & cum hætenus illa
tantum, quæ recte facta sunt, suspiciose arguere, & so-
phismatis quibusdam vellicare, satis habuisset; jam
aperte ludificari incipit, & ea procudere monstra,
quæ fando nunquam audita sunt. Quis post hac mi-
rabitur ex vetusto ævo multa ad nos falsa pro manasse
cum in tanta nostrorum temporum luce non desit,
qui novas Circes, novasque Chimæras orbi obtrude-
re non vereatur. Quos enim tumultus Polonga ex-
citat? Ignotum obscurumque vicum non una fabula
nobilitat, Trojana fata exæquantem, cum decimum
jam annum à Svecis oppugnetur. Nam anno
MDCXC, celebrem fuisse tradit, ab eo tempore gra-
ves Svecorum insidias vimque sustinuisse: nuper
etiam Saxonicas copias, ut infra fabulatur, ab iis-
dem pene oppressas vidisse. Atque, ut fidem his-
ce nugis conciliet, locus, tempus, personæ addun-
tur, modique fere omnes notantur, quibus aliquid
factum esse argui solet. Ut generali comitiorum

pro
rant.
anno
ndiæ
timo
s est,
Bul-
facto
n est,
lerat,
i de-
vam-
con-
ut ex
num,
jure
No-
stru-
ndico
e no-
eltru-
t, no-
næ a-
mnis



decreto nobilissima in litore maris Balthici statio erecta sit: ut operâ societatis Anglicanæ perficeretur: ut Svecorum comminationibus esset impedita; qui, immixtis speculatoribus, non tantum locum delineandum curabant, verum etiam hostilem animum contra Rempublicam Polonam declarabant, direptis navibus, societate dispersa, locoque tam pulcre fundato ad solitudinem redactio. Quid contra hæc opponere Sveci habent? Nihil admodum: nisi quod ambigant, utrum solertiam auctoris in nugis hisce concinnandis mirentur magis, an stultitiam ejusdem in iis divulgandis rideant. Si tam operosam fabulam composuisset, ut in remotis procul oris, & in cætu aliquo Cosaccorum, recitaretur, hoc habuisset commodi, ut rudes trucesque animos majori in Svecos ira efferaret: jam quare nostri orbis hominibus, quibus nihil magni occultum esse potest, tam aperte falsa venditare voluisset, nemo facile divinabit, si non extremæ impudentiæ specimen edere cogitasset. Licet Svecis ignorare, quid Polonis de Polonga decretum sit, & quid cum Britannis super isto negotio conventum: hoc simplicis est veritatis, non audivisse unquam illos, portum istum frequentantes a quoquam mortalium turbatos fuisse. Quas interim in his nugis tra-

tragœdias facit? Quæ non in Svecos probra jaclan-
 tur? Atque ut horum injustitiam cum oppositâ Po-
 lonorum indulgentiâ contendat, signa nautica in
 promontoriis Curlandiæ, juxta articulum quintum,
 posita objicit, quasi hoc quoque pactis repugnet, quod
 Syrtes istæ, tot naufragiis infames, frequentioribus
 pereuntium spoliis non ditentur, quodque aliqui, qui-
 bus Neptuni sævitia parceret, quæstuosæ accolarum
 immanitati eripiantur. Quamquam hæc Pharos na-
 vigantibus parum utilis est, postquam non unius
 Nauphiacibus Capharea ista simul collucere cœpe-
 runt.

Hæc scilicet commenta Regis dolorem exacue-
 rant, ut gentem Polonam, cui Sveci per tot annos in-
 sultaverant, à contemptu vindicaret. Nempe con-
 temta hæc antea, orba, debilis, ab eo tandem decus,
 tutelam & robur accepit, qui non tantum Polonos
 floccifacere cœpit, leges eorum evertere, eosque ener-
 vare, verum & ipsam Reipublicæ animam & spiri-
 tum intercipere conatur. Dura potius & crudelis
 fortuna Polonorum multis existimabitur, qui tam
 diu hunc Regem in Reipublicæ leges insultare vide-
 rent. Vindicare Poloniæ injurias is constituit, qui
 ea in Rempublicam patravit, quæ acerrimam non
 tan-

tio e-
 retur:
 ; qui,
 eline-
 mum
 direp-
 pulcre
 ra hæc
 quod
 hisce
 sdem
 fabu-
 in cæ-
 uisset
 Sve-
 nibus,
 aperte
 si non
 . Li-
 decre-
 o con-
 se un-
 quam
 nugis
 tra-

(66) (70) (90)

tantum à Polonis, sed etiam eorum amicis efflagi-
tant ultionem. Iter Hornii, exercitum Svecicum
per Samogithiæ fines, anno MDCLXXVIII, ducen-
tis accusat, quod ad justum bellum sine noxa ejus,
per cujus regionem transitur, tendentibus denegare
inhumanum fuisset, & jure gentium patere solet.
Nihil hoc cum transitu Bothii & Cracovii, Cæsaria-
norum ducum, fervente bello Germanico, commu-
ne habet, qui per Poloniam in Svecorum provincias
non tam sponte irruerant, quam ab Uladislao Re-
ge allecti fuerant. Ad hæc transitus Hornii prorsus
erat innoxius, sine ulla exactiōe, aut minima inju-
riâ, cum omnia parata pecuniâ redimerentur, eaque
disciplina, ut non modo manus istius exercitus, sed
ne vestigium quidem cuiquam incolarum nocuerit:
at ipse Rex quot populabunda per agrum Polonum
hisce annis agmina duxerat, quibus & Poloniam
ipsam misere conculcavit, & eorum, qui Polonis ami-
ci erant, provinciam crudelissime, & latronum ritu,
expilavit atque oppressit. Externas ipse in Poloniæ
vilcera copias immerserat, non ut innoxie transirent,
sed ut ad Reipublicæ oppressionem & vastitatem ini-
bi nidularentur, & inveterascerent. Nemo incola-
rum, Hornio iter faciente, de injuria ulla aut male-
ficio

ficio questus est: quæ autem lamentationes hodie audiuntur, non tactis leviter unius provinciæ finibus, sed tota Republica metu ac pavore concussa, Lithuania direpta, Curlandia exhausta, nec hoc in transitu, ut finis aliquis malorum sperari posset, verum continuata per aliquot annos violentiâ. Cum declaraverit Rex Fridericus Augustus, quorum veniâ hæc ab eo, & an ex pactis conventis, facta sint; Sveci quoque demonstrabunt transitum Hornii minime illicitum prohibitumque fuisse. Interea scire ipsi suffecerit, neque Johannem Regem tunc Poloniæ, nec Rempublicam, violentum hunc, aut injuriosum sibi transitum unquam reputasse, aut eo ipso rupta existimasse pacta Olivenfia. Si injusta Svecorum arma contra Electorem Brandenburgicum fuisse credidissent, procul dubio ipsi auxilium tulissent: sed bene noverant non ex pacto Olivenfi, sed ex fœdere, quod inter Regem Sveciæ & Electorem, anno MDCLXXIII. ictum erat, istud ortum fuisse bellum; cum Elector Regi Christianissimo Svecorum fœderato arma intulisset.

Næ igitur, si saperet, puderet accusatorem ea referre, quibus insolentia Regis Poloniæ verius redarguitur, quam ut quidquam in Svecis jure reprehendi possit.

flagi-
cium
ucen-
ejus,
negare
solet.
saria-
nmu-
vincias
o Re-
rorsus
a inju-
eaque
is, sed
uerit:
onum
oniam
s ami-
m ritu,
olonix
sirent,
em ini-
incola-
malef-
ficio



possit. Gemina his sunt, quæ, ex articulo undecimo, de ærealieno, Elbingæ & Thorunii à ducibus Svecorum contracto profert. Partim enim falsa nomina hic fingit; partim illorum, quorum refert, injussu nunc exigit. Elbingensi civitati teruncium Sveci non debent; omnia persoluta sunt, nullis reliquis. Thoruniensibus quo minus idem contingeret, falso traditur diverticula solutioni eludendæ à Svecis quæ sita esse. Cum enim illi chirographa proferre, & rationes dispungere, cessarent, & omnia, quæ Bernigius, cui hoc negotium aliquando commiserant, eorum nomine egisset, postea irrita pronunciarent, procrastinatio & mora facta est, verum cum nuper summa ad liquidum esset perducta, pecunia etiam repræsentata fuisset, ni exortæ turbæ solutionem distulissent. Nihil igitur ad Regem Poloniæ pertinet, quid, interposita fide, cum Thoruniensibus Sveci pacti sint; cui isti, quod hoc tempore rationes sint impeditæ merito tribuent. Sed neque Rex Poloniæ, quæ fecerat, nomina tam facile expunget: nec ut bellum quisquam sibi ea de causâ indicat, æquum esse judicabit, qui ad patientiam creditores suos, sicut hæctenus, remittere mallet.

Sed hujus libelli propria vis ac indoles est, cum
gra-

vem aliquam calumniam intendat, ut quanto mino-
 rem illa veritatis speciem habet, tanto majori verbo-
 rum rabie ac petulantia eandem protrudat: prorsus
 quasi putidis ac imbecillis commentis atrocitas convi-
 ciorum fidem adderet. Quam enim acerba ad arti-
 culum decimum quintum accusatio instituitur, de
 novorum vectigalium exactioe, quâ commercio-
 rum libertas in fluminibus Duna & Buldera constri-
 gidicitur. Verum si aliqua vel res minima reperietur
 quam obrem videatur non nihil tantum verisimile esse
 quod tam impudenter hic arguit, non recusant Sveci
 quin cæteræ quoque criminationes, quæ in hoc scripto
 constipantur, veræ ac justæ pronuncientur. Nam
 quod ad vectigal Bulderanum attinet testimonia ad-
 duci possunt, quibus demonstratur, istud ab eo tem-
 pore, quo rerum in Livonia Poloni potiebantur, pen-
 di solitum, & postmodo continuo tenore exsolutum
 fuisse, donec Olivæ hujus ipsius articuli, quem viola-
 tum jam dicit, luculentis verbis stabiliretur: *Telonio-
 rum vero & vectigalium in flumine Duna & Buldera, ut &
 maritimarum ac terrestrium in Livoniâ, eadem ratio, & in iis-
 dem tantum locis ab utraq; Parte in posterum sit, uti & ubi tem-
 pore induciarum, & ante hoc bellum ultimum fuit.* Quid est
 autem, quo altius assurgere improbitas possit, cum
 K cla-

decimo,
 Sveco-
 omina
 injussu
 Sveci
 reliquis.
 et, falso
 Svecis
 roferre,
 a, quæ
 ommi-
 ta pro-
 verum
 ta, pe-
 rbæ so-
 em Po-
 Thoru-
 tempo-
 Sed ne-
 m facile
 de cau-
 ientiam
 llet.
 t, cum
 gra-

(66)(74)(90)

clarissimas pacti leges calumniari non vereatur? Ad hæc nulla hujus vectigalis portio ad S. R. Majestatem pervenit: totum illud, quod exiguum valde ac tenue est, in usus civitatis Rigensis, quæ maximam hujus tributum partem ipsa sustinet, cui quoque antiquitus illud destinatum erat, reservatur. Cum de hoc abolendo anno MDCLXXI, cum Duce Curlandiæ pactum fecisset, iis conditionibus, ut ipse vectigalia terrestria remitteret, ut vias publicas ad vecturam aptiores redderet, ut eas vehiculis idoneis, & fluvios ratibus instrueret; Dux quidem tunc consentire visus est, sed mox a pacto & conventu discedens, Rigensibus jure pristino utendi necessitatem attulit. Pars falsitas in iis quæ de intolerabili vectigali Moscoviticis, Lithuanicisque mercibus, quæ Duna fluvio Rigam devehuntur, imposito declamitat. Nunquam enim nugator probabit supra consuetum portorium, aut contra pacta, obulum exigi: contra prudenter à Regibus Sveciæ constitutum inveniet, qui, ut mercaturam iis in locis florentiorem facerent, concessis privilegiis, parte soliti oneris istas merces levare voluerunt. Quod ipsum multis testimoniis confirmari posset, si præter convicia quidquam attulisset auctor, quod refutatione dignum existimaretur: nunc satis sit homi-
ni

ni impudentissimo, ut importunius latrāre desinat, ipsam experientiam objicere, quæ docebit, singulari Regum Sveciæ cura & indulgentiâ effectum esse, ut, cum antehac naves mercatoriæ sexaginta admodum Rigam quotannis ventitassent, nuper, & proximis annis, earum numerus in immensum auctus sit, quæ è diversis terrarum plagis solutæ, in portum Rigensem, cum res varias usibus humanis inservientes, tum incredibilem argenti vim advectant, quæ iis mercibus, quæ in Moscoviâ, Polonia progignuntur, coemendis impenditur. Unde facile conjectari potest, quantum lucri, quantumq; rei familiaris incrementum non tantum illi, qui in his oris negociantur, verum etjam operas rusticas habentes, ex his commerciis capiant, ut proinde non enervari, ut calumniatur, sed ditescere istarum regionum incolas hac mercaturâ liquidissime constet. Quæ cum Poloni recta via reputaverint, nunquam in hunc diem de ullo vexigalium onere quæsti sunt: contra ea cum Sveci de insolito, & contra pacta instituto in locis Dunæ conterminis portorio, monuissent, ipsi æquitate ducti, missis ad publicanos mandatis, abrogare illud promiserunt. (Aa)

Quemadmodum igitur falsissimum est, novis Svec-

Kz

Ad
estatem
actenue
ujustri-
us illud
olendo
tionem
errestria
res red-
bus in-
est, sed
ous jure
tas in iis
thuani-
vehun-
nugator
ntra pa-
ous Sve-
m iis in
giis, par-
Quod
si præ-
od refu-
t homi-
ni



Svecorum vectigalibus constrictam esse commercio-
rum libertatem; ita pravitate monetæ Poloniæ Ri-
gensium negotiationes non afflictas tantum, sed qui-
busdam annis propemodum extinctas fuisse, si hæc
res cum Polonis disceptanda esset, posset demonstrari.
Nam cum hi æreis uterentur numulis, quorum quin-
que imperiales, ut appellant, internam unius argentei
imperialis, quo monetæ genere Rigenses mercabantur
bonitatem vix æqvabant; factum est, ut meliori pecu-
niâ Livonia exhauriretur, & negotia pene concide-
rent. Non unam de hac re querelam Sveci per legatos
suos ad aulam Polonicam detulerant, ostensa simul
ratione, quæ res numaria emendari posset: verum
cum remedium huic malo tardius adferretur, ex Bata-
vis, Lubecensibus, Hamburgensibus, imo etjam ex i-
psis Polonis quidam mala lucri cupidine inducti, soli-
dis ejusmodi, quos domi excuderant, universam fere
Poloniam inundarunt. Horum exemplum duo Ri-
genses, anno MDCLXVII, imitari conati sunt, qui-
busdam ex Livonia Polonica in societatem assumtis,
sed mox in ipso facinore deprehensi, justas luerunt
pœnas. Nullam igitur super hac re querelam Poloni
unquam moverunt, qui Regi totique regno privato-
rum ausa non esse imputanda sapienter judicarunt,
post-

postquam fontium supplicio crimen expiatum erat. Quin eodem tempore clandestinos in Polonia flaturarios fuisse constat, qui in vectis vilioris notæ solidis, Livoniam graviter turbarunt. Hæc quanquam ignorare non poterat is, qui vetera acta tam diligenter excusserat; non veretur tamen falsis opprobriis Svecos mordere, quasi ab ipsis hæc fraus adornata esset, eo fine, ut exinanita Respublica, ut loquitur, ipsis prædæ esset: cum tamen hi numularios hosce non tantum acerrime punirent, verum etiam Polonos, ut, abolita viliori monetâ, meliorem cuderent, monitis suis pene fatigarunt. (Bb)

Quæ de tabellario traduntur, arrogantiamne majorem, an inscientiam arguant, incertum est. *Posta Suetica, inquit, non pactis Olivensibus concessa, non ulla legum auctoritate fundata, temere & indebite in grave præjudicium jurium regalium per Curlandiam & Samogithiæ ducatum disposita est.* Os ferreum! Audet inter causas belli referre, atque impugnare illud jus, quod Sveci non tantum septuaginta annorum præscriptione, verum etiam publicis pactis corroboratum habent. Nam cum Curlandia veredariis careret, Sveci ad commercia promovenda certos equites suis impensis alebant, qui per Curlandiam literas ferrent, non

privato ausu, sed annuente Duce Curlandiæ, & annuo pretio veredos concedente, qui & Ipse eadem commoditate, in suis literis mittendis, uti voluit. Cursus hic tabellariorum pactis inter Svecos & Ducem, anno MDCXXXV, initis, & anno MDCXLVII. repetitis, confirmatus est, (Cc) adprobante eadem postmodo Oliva, cujus articulo primo sancitur, ut *pacta & fœdera omnia, quæ paciscentes inter se, vel cum aliis habent, integra & in pleno robore suo permaneant, & insuper articulo tricesimo secundo clarius exprimitur, ut in Livoniâ & Curlandiâ negotiationes quævis pristino usui restituantur, & literarum commercia libera sint.* Male igitur Svecis dicam hic impingit ruptæ pacis Olivenfis; quam ab eo potius violatam esse liquet, qui jus tabellariorum tam longa consuetudine, totque pactis fundatum, interpellatum ivit. Agnovit hoc ipsum Dux Curlandiæ, cum iter Regii tabellarii, anno MDCLXXXV, turbatum quærentur Sveci, perque epistolam se promisit præfecto tabellariorum, Statio Stenio, æquum jus adversus subsessores itinerum administraturum. (Dd) Neque idcirco, quod tabellarios suos haberent, supremo Reipublicæ Poloniæ, aut Ducis, juri quidquam detraxere in animum unquam induxerunt Reges Sveciæ, aut

aut Ducem impedire, quo minus suos ipse veredarios, quos antea nullos habuit, pro lubitu institueret: ut autem decederent isto jure, quod solennibus patris acquisitum, perque tantum temporis tractum imperturbatum habuerant, neminem putaverant tam iniquum fore, qui postularet, nedum ut eos propterea violatae pacis accusaret. Cum autem falsam scientiae persuasionem sibi induat auctor, & nusquam gentium talia in usu esse exclamet, mirum quantum ignorantiam suam prodit. Si, quod apud externos gereretur, nesciret, condonandum ejus inscientiae esset: hospitem autem in patria esse, turpius aliquanto est. Nunquamne audivit tabellariis Electoris Brandenburgici transitum per Prussiam regalem dari? Nunquam fama percepit, in plerisque Germaniae regionibus hoc usurpari? Rex Daniae per Sveciae confinia longo itinere in Norvegiam tabellarios mittit. Svecis idem per Daniam atque Holsatiam conceditur. Nec eorum quisquam, quod gentium jure licet, iniquum esse reputavit, aut propterea Majestatis jura dividi imminuere credidit.

Tot igitur nugis venandis, in quibus ne mica quidem est veritatis, cum omnes loculos sinusque pacis Olivenfis perreptasset, imprudens tandem articulo

et an-
dem
oluit.
Du-
anno
ad-
iculo
ciscen-
robore
undo
tatio-
mercia
uptae
ffe li-
dine,
gnor-
abel-
entur
bella-
fesso-
e id-
Rei-
rahe-
eciae,
aut

culo tricesimo quinto, tanquam scopulo, impactus, mire perturbatur. Vidit enim hoc ipso sententiam dictam esse, quæ Rex Poloniæ quod Suecos contra hanc pacificationem bello impetisset, ab omnibus paciscentibus & sponsore pro aggressore & infractore hujus pacis habetur, ejusque beneficio excidisse judicatur: paciscentes vero, & sponsor fœderis parti læsæ communibus armis assistere & bellum contra aggressorem prosequi invicem tenentur. Quid ergo faceret? In ipso delicto manifesto jam deprehensus, sudat, pallet, trepidat, viam, quæ evadat, circumspicit. Quamvis enim hæcenus impudentissimi calumniatoris partes strenue obiverit, & inusitatam in artificio accusatorio peritiam calliditatemque attulerit: cum tamen integerrimorum prudentissimorumque judicum cognitioni res vanissimas adprobaturum se desperaret, quorum fidem corrumpere non posset, illorum scientiam dolo ludere instituit. Itaque, quæ cœpit, fide criminationes suas pertexit, huncque articulum eâ potissimum parte, ad quam, velut ad obrussam, justitia hujus belli exigenda erat, dolose truncat. Quem proinde integrum hic apponere juvat § II. Si vero contingat unam partem ab altera, vel plures à pluribus gravi aliqua injuriâ, citra tamen vim armorum, vexari, non licebit ideo læso ad arma subito recurrere, sed ante amicabilis componendarum

darum hujusmodi controversiarum ratio ineunda erit, videlicet, ut laesus, accepta injuriâ, si immediate cum ledente convenire nequeat, alios paciscentes moneat, ut commissio generalis omnium paciscentium nomine instituat, ad laesi confinia, intra spatium quatuor mensium, & in qua inter deputatos utrinque commissarios negotium discutiatur, & si possibile erit, intra quatuor ad summum alios menses terminetur. § III. Si vero ledentem, refractarium ad aequa, quae proponuntur, media deprehenderit, tum laesis licebit, facta tamen prius legitima belli denuntiatione, jus suum armis prosequi, & bellum, ut supra statutum est, ledenti inferre. § IV. Quod si vero turbationes vi contrariisqve artibus retundantur, solummodo tuendorum limitum causâ, actus ejusmodi pro violatione pacis non reputabuntur: ipsa autem super limitibus controversa extra vim armorum terminetur. Tam nobilem laciniam cur abscidit? Si Svecos pactorum Olivenensium reos agere voluisset, ex hoc capite coarguendi erant. Nam ut maxime culpæ alicui affines essent; eo tamen injusta erunt Regis Poloniae arma, quod gradus in hoc articulo præscriptos non servasset. An vero unquam Svecos de injuriâ ulla convenerat? An paciscentes de eadem monuerat? An tempus tollendæ controversiæ, si quæ oriretur, determinatum expectaverat? An denique legitimo modo bellum denunciavit? Hanc seriem Oliva dicitur,

L

quam

quam cum neglexisset, eo ipso fateatur necesse est, injustum eum esse aggressorem, violatique foederis Olivensis pœnam, quæ hic exprimitur, incurrisse. Quam vero absurdum est atque inverecundum ea lege postulare alterum, in quam ipse peccaverat! Quare cum videret nugas suas calumniasque omnes, quibus fabricandis tantam impenderat operam, hac lege abunde refelli, & quasi uno spiritu difflari, summamque Regis injustitiam ante omnium oculos exponi; præstigiis quibusdam incautum lectorem circumvenire voluit, mutilata ea parte & hominum cognitioni subductâ, quæ totum negocium conficeret. Ipse igitur ægrotam desperatamque causam agi confitetur, quam non lege, sed corruptione legis, non integritate, sed fallaciis obtenturum se confidit. Quis tamen non audacem magis, quam scitum eum sycophantam diceret, qui universis mortalibus verba se daturum speraret, neque metueret, ne isti fallaces fucosaque merces sibi obtrudi pro indignissimo ferrent. Sed durat frontem; & rimam qua elaberetur, se reperisse putat, dum bello Turcico & intestinis turbis distractam Rempublicam dissimulasse has injurias obtendat. Quam enim langvida hæc & jejuna cavillatio sit supra monitum est. Nam ut, fervente bello Turci-

co, Poloni non ere sua putassent Svecorum ferociam irritare; quid, eo finito, ipsos deterruisset, quo minus ex præscripto pacti Olivenfis agerent? cum expedita jam & bello liberata esset Respublica; sponsores quoque foederis pacem haberent, quæ major unquam opportunitas esset cum Svecis de injuriis expostulandi, eorumque ferociam comprimendi? utrum est periculosius armis adversarium aggredi, an verbis compellere? Ausus est Rex contra pacta Svecis bellum facere, inconsultis sponsores: de damnis reparandis juxta leges pactorum, iisdem sponsores consciis & adjuturis, hiscere non sustinuit. Nempe timebatur, ne Polonorum querimonias anteverterent Sveci, si legitime in hoc bello isti procederent. Quasi vero intempestivus fictusque timor justam pacta violandi bellumque alteri inferendi, causam suppeditaverit: aut Poloni unquam a Svecorum irruptionibus sibi metuissent, cum quibus nulla ipsis intercessit controversia, aut Regem sollicitassent, ut adversus Svecos bellum susciperet, quod, insciis ipsis, & contra Regni leges, susceptum esse quam maxime jam indignantur. Quasi hi Svecorum modestiam in iis, quæ pactis adversari putaverant, perferendis antea non cognovissent, aut ipsi, sicut in Bernigio supra ostensum est, si

L2

quid

est, in-
is Oli-
Quam
e po-
e cum
ous fa-
ge ab-
mqve
; præ-
venire
i sub-
igitur
quam
e, sed
non
m di-
n spe-
mer-
d du-
erisse
istra-
bten-
tio sit
urci-
co



quid ex pactis sibi deberi credidissent, indicare libere
ausi non fuissent. Unde ista jam superbia ferocitas-
que Svecis accesserat, ut amicorum monita bello vin-
dicarent? Frigida, mehercule, si quæquam, & minuta
ratio est, commiseratione potius quam refutatione
digna. Quid enim obtusius dici potuit? Apparet
Vertumno iniquo natum esse, qui insulse omnia
& ridicule diceret, nec quidquam sani mente un-
quam videret. Quæ de irruptionibus Svecorum
hic ingeminat, vana esse & inania ex iis, quæ supe-
rius allata sunt, liquebit. Inter causas violatarum in-
duciarum, quod Uladislavus Rex Oesiliam tentasset,
juste quondam relatum fuisse nemo negabit, qui no-
verit Regem istum, cum nihil juris in hanc Insulam,
quæ tam diu in Danorum fuerat ditione, illi compe-
teret, non modo impedire conatum fuisse, ne Svecis
traderetur, verum etiam, missis per cubicularium su-
um Bergium seditiosis literis, incolas ad defectionem
solicitasse. Sed hæc, quæ olim gesta sunt, & repeti
jam non debebant, Polonos hodie non absterruis-
sent, quin controversias, si quæ natæ essent, mitiori-
bus remediis componendas esse censuissent.

Sed nondum ineptiarum satis. Arguitur S.R.
Majestas contra articulos XXXV & XXXVI venisse,
quod

quod, submissis serenissimo Duci Holsatiæ copiis, quarum ope munimenta quædam reficerentur, Regem Daniæ, perpetuum Polonorum foederatum infestasset; quæ inani verborum tinnuti ventosaque loquacitate exaggerantur, congestis pro more teterrimis in gentem Svecicam opprobriis, fictisque suspitionibus. Enimvero nemo est, quin intelligat insidias hic Polonis tendi, ut imagine læli foederis deceptos in furoris sui societatem adducat, ipsorumque manibus ad Rempublicam jugulandam utatur. Quæ enim ratio esset, ut, rupto cum Svecis veteri pacto, controversiis ad eos nihil pertinentibus se immiscerent. Nam foedera superioris seculi, quæ cum Danis erant, alio spectabant, ipsaque vetustate oblitterata perperam hic adducuntur: quod, anno MDCLVII pactum erat, pacificatione Oliveni, anno MDCLX abolitum, & nulli usui est, postquam eadem pacificatione omnis bellorum causa inter Svecos Polonosque radicitus extirpata est, & Polonis per sponsores de istius pacti diturnitate satis cautum. Verum in hac causa nihil jam est, quod defensionis egeat; falsa fuisse omnia, quæcunque hic ad Polonos irritandos, vel Svecos criminandos, malitiose allata sunt, subsequuta nuper inter Serenissimum Daniæ Regem, & Ducem Holsatiæ

conventio docuit, magnoque istos rubore confudit, qui consilia S. R. Majestatis tam sinistra opinione adspargere sustinuerunt, multaque effutire temere, quæ, etiam Svecis tacentibus, ipse eventus vana fuisse loquitur. Neque enim S. R. Majestas unquam cogitavit Danis bellum inferre, aut detrimenti quidquam importare: verum id unice studuit, ut pactum Altonense, cujus una cum Britannis Batavisque in se sponsonem susceperat, effectui daretur: cujus articulo secundo cum Duci Holsatiæ jus habendi condendi que munimenta diserte concedatur, (Ee) ad illa extruenda cohortem mille ducentorum militum misit, quorum paucitate creari sibi periculum minime Rex Daniæ timere potuit. Nec postea S. R. Majestas quidquam nisi communi reliquorum consilio egerat, idque non alio fine, nisi ut quæ Duci ex fide pactorum debebantur, Rex Daniæ tandem præstaret. Ista vero moderatio, quæ S. R. Majestas usa est, cum omnem a Svecis cupiditatis vel Daniæ evertendi, vel orbi Christiano dominandi, sicut objicitur, suspicionem dimovebit, tum Regem Poloniæ summæ iniquitatis convincet, quod cum indolem hujus controversiæ exactissime sciret, orbi tamen, tam universo, quam Reipublicæ Poloniæ rem vanissimam persvade-

reconatus sit; in memoriam simul fratris sui, Electoris quondam Saxoniae, injuriosus, qui una cum Caesare, & Electore Brandenburgico, pactum Altenoense confecerat. Itaque cum ortum illud inter Regem Ducemque dissidium componere debuisset, artibus suis & clandestino cum Danis foedere effecerat, ut negociatio Pinebergensis, qua pacti istius executio susciperetur, per quadriennium protrahita sit, & interea perniciose illa de Svecis simul & Duce Holsatiae opprimendis collusio maturesceret, sesquialtero anno ante facta, quam S. R. Majestas ex lege foederis Duci subvenisset. Quis igitur negaret ipsum esse istius pacti ruptorem, quod à Svecis violatum esse audacter fingit? Verum hunc adeo caecum fecit criminandi libido, ut non videret se causae huic deploratae quam maxime nocere, facta istius jurisjurandi mentione, *quo Rex se obligavit pacta & foedera cum vicinis inviolabiliter manutenere, observare & renovare velle.* Nam cum inficiaturus non sit Polonos cum Svecis solenne pactum Olivae iniisse, cur illud non servavit? Quoniam vero non modo religiose, ut juraverat, non servavit, sed fraudulententer, ut non debuit, infregit, utro nomine posthac compellari velit, eligere habet. Qua propter exacto judicio rem ponderantibus facile erit assequi,
 Regi

omnia hæc fucosa & inania esse, cum neque bellum Regi Daniæ a Svecis illatum sit, neque pacificationi Olivenfi repugnarit, quin Duci Holsatiæ cum cæteris sponsoribus evictionem pacti Altenoensis præstare iidem potuerint: & denique Danorum amicitia falso tribui, quod superiori bello cum Provinciarum aliquot jactura Poloniam à Svecorum armis liberassent. Arctis enim & propemodum desperatis Rebus Polonorum, nusquam Danus se movebat: postquam vero Svecos interneccione deletos esse fama vulgaverat, in scenam belli prodibat, non tam ut Poloniam sublevaret quam ut suis commodis ista opportunitate velificaretur.

Atqui hæcenus Rex infeliciter Reipublicæ causam egerat; quæ an accusationem temerariam & insipidam, quam absque mandato susceperat, ratam habitura sit, an, quod credibilis est, negotii gesti actione cum illo experiri malit, dies aperiet. Equidem cum a parte Reipublicæ Polonæ nulla de injuriis expostulatio facta sit, supersedere hac responsione potuisset S. R. Majestas, & criminofum hunc libellum, insulasque obtreccationes, contemptu ulcisci: verum ne silentium fraudi verteretur, pauca hæc reponenda duxit, non ut accerbissimo iniquissimoque hosti, quem

quem nullo dicto factove antea læserat, se purgaret, sed ut toti orbi manifestaretur, quam exigua honestatis curâ is ducatur, qui veritatem, & custodem virtutum omnium, verecundiam ex animo ejecerat. Atque ut mentem ab omni injuriâ contumeliâque alienam habet; ita ab æquanimitate aliorum obtenturam se sperat, ut necessitati potius, quam vituperandi cupidini imputetur, si ad indignissima probra, quæ in se suamque gentem ingeruntur, refutanda quædam adducta inveniantur, quæ sempiterna alias oblivione sepulta rectius jacuissent.

Jam igitur ad ea crimina, quæ à Rege Polonia potissimum moventur, veniendum: in quibus obijciendis non meliori fide, quam hæctenus, cum alienum negotium egerat, uti cum nemo forte mirabitur, qui cogitaverit corroboratam longa consuetudine audaciam tam facile non deponi. Injuriam in a legato suo, qui se Regem ab Ordinibus Polonia electum esse significaret, sibi illatam queritur: siquidem non tantum votis & expectationi ejus non respondit Suecia, sed cum summa indignitate a legato repulsam dedit, eundemque, in salutato Rege Suecia, retrovertere fecit; certissimum radicata in pectore hostilitatis prodente documentum, & in quo vis adverso casu contra ipsum & Rempublicam insensæ

M

in-

ellum
ationi
æteris
tare i-
e falso
m ali-
ssent.
Polo-
quam
lgave-
oniam
unita-
æ cau-
& infi-
am ha-
i actio-
videm
riis ex-
epotu-
um, in-
verum
onenda
hosti,
quem



(90)

infestaeque viciniae suae malevolentiam. Quam male in ac-
cusatorio munere is versatur, qui imprudenter & in-
considerate adversariis ea objicit, quae falsa esse non
tantum nullo negotio demonstrare possint, verum
etiam ex iisdem novam sibi gloriae materiam legere!
Quod utrumque in nugatorio hoc crimine Svecis con-
tigisse patebit. Nam, anno MDCXCVI, Sachinus,
à Republica missus ad nunciandum Regis Johannis
obitum, Holmiam appulit, ibique integrum fere bi-
ennium moratus est. In sequenti anno cum, ab eun-
tibus in diversa Ordinum studiis, bini simul Reges in
comitiis Varlavienfibus renunciati essent, a Primate
Regni Princeps Contiùs, ab Episcopo Cujaviae Ele-
ctor Saxoniae; hic confestim consiliarium suum Bo-
sium Holmiam ablegavit, ut de electione sua S. R.
Majestatem faceret certiore. Aditum petenti Sa-
chinus intercessit, causatus, *scissa Republica, non esse Re-*
gem: & cum Bosius, ut repelleretur ille, postularet,
respondit *se a primate Regni, cui, durante interregno, sum-*
ma juxta leges patrias potestas esset, nomine statuum Poloniae
ac Lithuaniae missum esse, gentiumque jus appellare, quo lega-
ti essent inviolabiles. Quemadmodum igitur Sveci do-
mesticis Polonorum dissidiis se ingerere nunquam
voluerant, verum omnibus potius studiis votisque

con-

tenderant, ut suffragiorum libertas, ratioque comiti-
 orum in eligendis Regibus integra atque illibata con-
 staret; ita hanc controversiam sui arbitrii esse mini-
 me judicarunt, incerto adhuc eventu, cum valida fa-
 tis adversa factio magno animorum motu rem ageret:
 Bosium autem, ut Electoris Saxoniae ministrum, ad-
 mittere nunquam recusarunt, diplomate illius potissi-
 mum ad id inducti, quod consveta inter Reges Sveciae
 & Electores Saxoniae formulâ conceptum erat, atque
 Electorali tantum sigillo obsignatum. Cum vero a-
 lias paulo post attulisset literas, quaequam & illae vitio
 non carebant; amicitiae tamen propinqui Principis
 datum est, ut, eodem anno, die VIII Octobris, hora
 tertia pomeridiana, in conspectum colloquiumque
 S. R. Majestatis, in aula Carlbergiana tunc commo-
 rantis, introductus, (Ff) multa benevolentiam excipe-
 retur, & discessurus, cum, anno MDCXCVIII, die 5.
 Januarii, S. R. Majestatem iterum salutaret, amplissi-
 mis donis decoraretur. Galescium, quem superiori
 anno legationem obiisse memoratum est, quamvis
 nihil admodum, quod alicujus momenti esset, attulif-
 set, & omni honore percoluit S. R. Majestas, & abeun-
 tem lauto congiario prosecuta est, effusis in eum Ma-
 gnatum studiis, certatim lautia praebentium. Cum

svp

M 2

utrum-

ein ac-
 & in-
 e non
 verum
 legere!
 is con-
 hinus,
 hannis
 ere bi-
 beun-
 ges in
 rimate
 ae Ele-
 m Bo-
 S. R.
 nti Sa-
 esse Re-
 ularer,
 o, sum-
 Poloniae
 volega-
 eci do-
 nquam
 otisque
 con-



utrumque vivere fama refert, alterum etiam hac æstate, ut accepta beneficia grato aliquo facto remuneraret, una cum Rege suo, provinciam S. R. Majestatis vastasse; amborum fides deponitur, qui nisi mortalium absurdissimi sint, cum hanc Svecorum humanitatem recoluerint, non poterunt iniquitatem Regis sui non averfari, qui officiosam illorum amicitiam nomine inquinaret criminoso, illudque malevolentia tribueret, quod certissimum animi fortunæ suæ faventis indicium erat. Respublica certe Polona, si nullum antea fidæ sinceræque vicinitatis documentum existeret, vel hinc intelliget, quantum illius incolumitas cordi S. R. Majestati fuerit, quæ, quam diu civili diffensione ipsa laborabat, nihil admittere voluerat, quod juribus ejus ac libertati tantillum derogaret. Cum vero tam benigne S. R. Majestas legatos Regis excepisset, nihil causæ erat, quare illustrem virum Vellingium, Svecicum ablegatum, contemptum ipse haberet, a consanguineo Rege missum, ut novum ipsi fastigium gratularetur, & simul arctioris amicitiaæ fœdus offerret. Cui quanto major honoris species habita est, tanto insignitior jam evadet Regis simulatio, postquam apparuit non alio fine adhibita hæc blandimenta fuisse, nisi ut istis insidiis pestiferum virus occultaret, atque funesta,

quæ

quæ de Livonia invadenda ceperat, consilia percoqueret. Si ingrata ejus legatio fuisset, eo nomine liquet non placuisse, quod concordiam domi suasisset, & Elbingensi controversiæ sedandæ majorem, quam isti, cui omne in turbido consilium, expediebat, fidem diligentiamque impendisset. Nisi enim fixum destinatumque animo Rex habuisset ordinum Reipublicæ jura obterere, non hæc propensissima S. R. Majestatis officia dedignatus fuisset, aut conditionem novi fœderis rejecisset: sed cum perciperet Svecorum rationes a Reipublicæ salute separari non potuisse, prius istos, ut expeditius cogitata perficeret, proruendos esse censebat. Quo autem tectior hæc fraus esset, majori benevolentia fucos legatum ludere, atque in illud usque tempus, quo furoris hujus maturitas erumpebat, artioris amicitia spe lactare non dubitavit. (Gg) Non itaque reverentia juris gentium, qua legati sancti habentur, Regem a contumelia abstinuit, sed astutia subegit, ut dolose blandiretur, donec malignitas ejus pareret, quod diu in Svecorum perniciem parturisse liquet, edito mox egregio observantia atque æquanimittatis documento, cum Legatos Svecicos, alterum Dresdâ, Varavia alterum exturbaret verius, quam dimitteret; quorum tamen insigni fidaque

operâ in conciliandis sibi Polonorum animis paulo antea uti sustinuit. Quare cum tam salubria svaderet ablegatus Svecicus, non consiliorum explorator, sed extinctor incendii civilis; non turbator, sed conciliator pacis & publicæ tranquillitatis erat. Neque enim tantum sibi unquam sumsit, ut aptum satis exploratorem egisse se putaverit in aula Regis Poloniae, quæ artificio simulationis adeo erudita est, ut Pœnis ipsis fallendi præcepta tradere possit.

Quamvis autem nihil non ausurum eum sperari potuisset, qui, consumto pudore, tot commentis calumniisque fidem decoxerat pollueratque; non tamen credidisset quisquam usque adeo inverecundiae frena laxatum iri, ut putidissimam Flemmingi fabulam restauraret, postquam experiendo compertum est, in omnium Principum aulis dudum illam exhibitam esse atque explosam, neque quenquam inventum, qui non indignaretur credulitatem suam absurdissimis ineptissimisque nœniis tentari, quas conciliando puerorum somno nutriculae rectius impenderent. Nemo enim conjectura facile assequi potest, quare istam Camerinam movere voluisset; nisi quis diceret ipsum spernendis rumoribus validum, delictari jam opprobriis suis, aut suorum ingeniis admodum

dum capi, in quibus ad audendum fingendumque
parem industriam proclivitatemque inesse viderit. Ita-
que Flemmingi honori consulturus, ne inventa tanti
artificis perirent, regia auctoritate eadem suffulcire
voluit. Atqui cum bellum in animo haberet, quam
præstitisset veram illius causam statim aperuisse, atque
sine ambagibus dixisse se ex certo foedere obligatum
fuisse ad Livoniam corripendam, ut Svecos anticipati
bello districtos teneret, & si posset, provinciam tam
opportunam in præmium armorum occuparet!
Quod licet nemini non injustum videretur; mino-
rem tamen fidei jacturam fecisset, quam nunc tot in-
eptiis calumniisque coacervatis. Nam ut fateretur se
per Svecorum latus Reipublicæ Polonæ jugulum pe-
tere, nemo ab eo postulasset: potuisset hanc mentem
ea, qua pollet, dexteritate tantisper dissimulare. Jam
vero quot ludibriis, quot sibilis excipi ea sentit, quæ
gerris Siculis vaniora proferuntur? Quid enim com-
miserat summus Livoniæ Præfectus, quo dux copia-
rum Saxoniarum offenderetur? *Copias, inquit, militari-*
bus ad erigendum portum in Polonga vigore constitutionis supra
scriptæ, & Senatus Consilii postcomitialis destinatis, hyemali-
que tempore in stativis suis pacifice degentibus, ausus est, citra
ullam causam datam, vias publicas intercipere, diversas tendere
insti-

*insidias, speculatores clanculum dimittere, desertores castrorum
 supprimere, nec non continuis irritamentis laceffere, primoque
 Finorum adventu excidium interminare.* Si quis hic sca-
 pham scapham diceret, veroque nomine hæc com-
 menta appellaret, quo pacto alius defenderet? Sena-
 tus consulto Saxonicas copias Polongam destinatas
 fuisse nondum auditum est: at ignotum nemini, illas
 contra leges Regni in Poloniam infusas, invito Rege
 & diu tergiversante, ejectas atque exterminatas esse,
 neque ipsum antea diploma regie dignitatis impe-
 trasse, quam hac sentinâ & peste Polonæ libertatis
 Rempublicam levasset. Polongæ igitur confederunt,
 cum finibus Regni Lithuaniaeq; exire debuissent,
 non ut portum, quem scilicet tempore hyemali mo-
 liri commodum fuisset, extruerent, sed ne occasione
 deessent Livoniam ex propinquo involandi, quam
 primum constitutum cum sociis tempus advenisset.
 Quam vero pacificæ copię hæ fuissent, cum cædibus
 & rapinis omnia fœdarent, nihil ad Svecos: sangvi-
 ne enim atque fortunis Lithuanorum pastæ sunt. At
 vero cui ex hoc grege vias interceptit Gubernator Ri-
 gensis? Carlevicio fortasse. *Accipe nunc Danaum insi-
 dias, & crimine ab uno disce omnes.* Namq; is Moscoviam
 missus fuerat, explorator eorum, quæ Legati Svecici
 age-

agerent, quibus cum adrepere, blandiri, studiaque sua offerre non desineret homo astutissimus, literas commendatitias ad supremum Livoniæ Præsidentem, Illustrissimum Senatorem ac Comitem, Ericum Dahlbergium, obtinuit, atque ab eo omni benevolentia genere cumulatus est. Itaque cum Regi ea, quæ cum Russis convenerant, exposuisset, simulata iterum in Moscoviam legatione, transitum a Rigensibus impetravit. Sed loco impedimentorum, quæ secum duceret, rhedas pyrobolis, scalis, aliisque instrumentis, cum artis istius gnaris, oppletas, eodem die quo irruptio facta est, ad limitem præmisit, insequente occulte valida dimacharum manu, ut improvise & ex insidiis urbem caperet: verum cum hos longiori circuitu per errorē ductos impedimenta anteverterent, dolus ab excubitoribus detectus, & Rigam celerrime nunciatus, spatium dedit oppidanis arma capiendi. Quamquam vero tunc ad irritum caderet impia perfidi hominis machinatio; ex ea tamen intelligere licet, quare limitem incustoditum voluisset Dux Saxonum. At vero cum in vicinia essent integra insidiatorum castra, quisquam demirabitur custodiis excubiisque itinera fuisse observata? Aut quo jure prohibebatur Gubernator provinciae, quo minus id faceret, quod si ne-

N

gle-

trorum
imoque
nic sca-
com-
Sena-
tinatas
ni, illas
o Rege
s esse,
impe-
bertatis
derunt,
uissent,
ali mo-
casioni
quam
enisset.
ædibus
fangvi-
unt. At
ator Ri-
aum insi-
coviam
Svecici
age-



glexisset, imprudentissimus omnium merito existi-
 mandus fuisset. Cui pacato interea aditus erat inter-
 dictus? Nulla dies abiit, quin ex iisdem castris Rigam
 ventitarent, qui per speciem mercatus, aliorumque
 negotiorum, publica privataque urbis loca perrepta-
 bant, nemine prohibente, quam diu suspicio fraudis
 aberat. Quin & iis ipsis diebus qui irruptionem pro-
 xime præcedebant, non exiguae dignationis duces ur-
 bem inviserant, hospitaliter omnes & honorifice ex-
 cepti, tametsi explorandi animo eos accessisse & tunc
 non obscura erant indicia, & experientia mox confir-
 mavit. Quid est igitur, quod Rigenfibus hic crimini
 datur? Nihil aliud, quam quod, appropinquante ob-
 fessorum agmine, cautius agere ausi fuerint, atque il-
 la, quæ oculis prope cernebant, suspicari: quod de-
 niqve, sicut exploratoribus commeatum & hospitia
 præbuerant; ita pariter iis, a quibus missi erant, urbem
 ipsam, munimenta, vitam, & fortunas suas non lu-
 benter tradidissent. Quam vero ridicula & impudens
 est accusatio, cum insidiator de insidiis queritur;
 cum cautionem & diligentiam istis, quibus ipse insi-
 dias tendit, crimini vertit? Prorsus quasi viatorem la-
 tro accusaret, quod jugulum impavidus non præbue-
 rit, quodque ferrum toto corpore sponte non recepe-
 rit,

rit, fugaque se manibus ejus eripere tentarit. Qui circumspeditionem periclitantibus esse licitam negat, quid aliud cupit, quam ut homines, ex utâ omni ratione, atque humana natura extincta, immanitatem feris ipsis ignotam induant? Nam quid Sveci tunc quærebant aliud, quid agebant, nisi ut Lithuanorum Curonumque spoliis contentos esse vellent Saxones, suis autem finibus & agris abstinere? An hoc crimen erit crudelissimo bello vindicandum? Nam desertores castrorum suppressos fuisse commentum est, iis diebus confictum, quibus urbem, ut ex Flemmingi literis apparet, circumfidere cœperunt, quo tempore scilicet hosti transfugæ reddi solent: de quibus antea tamen, cum assiduo in urbe duces eorum versarentur, nulla mentio facta erat. At qui sicut prohibere non poterant Sveci, quin dilaberentur, quibus esuritio erat incommodior; ita illos, quos præsidia sua nunquam intrasse constabat, indagare sui officii esse non putabant. Si qui ante bellum deprehensi fuissent, reddere nunquam recusassent: quanquam Saxonum castris, tanquam tutissima arâ, proditores & scelerati sancti & inviolabiles habebantur. Itaque desertores tunc in urbe nemo vidit, speculatores autem quam plurimos, quos suppressere adeo non cogitabat sum-

existi-
inter-
igam
mque
repta-
audis
n pro-
ces ur-
ce ex-
c tunc
onfir-
imini
te ob-
que il-
od de-
ospitia
urbem
on lu-
udens
eritur;
e infi-
em la-
æbue-
e cepe-
rit,



mus provinciae Praefectus, ut satis haberet urbem ab eorum insidiis defendere. Numquid est aliud, quod in illo accusant, nisi quod parum idoneus aptusque videretur, quem illuderent. Hoc illos pungebat, hoc cupidine urbis capiendae accensos majori adhuc ira inflammabat. Cum pulcre alibi fraus procederet, urebat illos unius senis vigilantiam sopiri nulla arte potuisse, illius diligentiam obstitisse, ne Rigam spei suae destinatae jam atque desponsatae sine sanguine caperent. Hoc est nempe, quod illi vocant insidias tendere, & continuis laceffere irritamentis. Nam si illos interrogares, quando, quo loco, & quibus modis insidiae erant factae, calumniatores ut sunt, respondere non possent. Cum exiguo praesidio muros ingentis operis tueretur, egredi urbe, in alienam provinciam involare, & integrum exercitum laceffere, sani scilicet & prudentis hominis erat. Sed neque in Svecia absque mandato Regis tam facile bellum incipere licet, ac Flemmingus sibi licuisse innuit. De Finno- rum adventu cui dixit, aut quare diceret? Et si dixisset, an credidissent illi, qui Svecos spe foederis in eum usque diem duci noverant; Finnos autem ultra centum milliaria in sua regione degentes, si maxime excierentur, ista anni tempestate, ob summam itineris diffi- cul-

cultatem, cum neque terra, neque mari commode adiretur Livonia, advenire non potuisse. Hæc igitur cum Saxones optime cognita haberent, præsidia quoque urbi & castellis adjacentibus debilia fuisse, crevit insanus, & eo facilius promittebatur victoria, quod tam procul abesse noverant, qui oppressæ regioni oppem ferrent. Sed hæc cum irrisu omnium excepta, debuissent auctores istius commentum, si ullam partem haberent sensus, commonefacere, ne suspectas fucosque merces iterum orbi venum protruderent. Nam & cautiore jam sunt homines, quam ut præstigiis ejusmodi & inanibus artibus decipi possint; & inventus est, qui convenienti prorsus lixivio tam ulcerosum caput perfricare nuper sustinuit: (Hh) quamquam mirum est, quemquam putidissimis nugis refellendis operam horasque bonas perdere voluisse.

Sed quemadmodum actores industrii, qui plausum captant, in extrema parte acroamata solent inducere, missionemque ludorum lepida fabella profecti; ita, ut toti hujus accusationis scenæ illustrem clausulam imponeret, perridiculum crimen adfert, insolentiamque vocat indomitam, quod Sveci, missis ad promontorium Gedanense, Hela dictum, navibus, quæ observarent, ne quid apparatus bellici hostibus

em ab
quod
que vi
t, hoc
uc irâ
ederet,
lla arte
n spei
ngvine
nsidias
Nam si
modis
ondere
ngentis
nciam
scilicet
ia abs-
re licet,
norum
ffet, an
n usque
centum
cierent-
is diffi-
cul-



bus adveheretur, accolas simul & provinciales grandi rebo-
 antium tormentorum fragore exterruerant, liberamq; naviga-
 tionem interturbaverant, præsertim orto jam bello, &
 postquam aliquot menses provinciam illorum va-
 stasset Rex Poloniæ. Novum litora illa legentibus
 præceptum, quod memoriæ mandent, traditur, ne
 adnavigantes obviosque exoneratis tormentis salu-
 tent, ni auctores belli haberi velint. Sed infra omnes
 mortales abjecta Svecorum fors erit, quibus, etiam si
 antea innocuis, belli culpa imputabitur, si contra ho-
 stes defensionem moliantur, vimque vi propulsare
 audeant. Nimirum justum censebitur, copiis Saxo-
 nicis persultari Svecorum provinciam, castella inter-
 cipi, oppugnari Rigam, omniq; com meatu & com-
 merciorum usu intercludi: quod isti adversus arma
 tulerint, & rabiem progressumq; hostis sistere conati
 sint, gravissimum crimen erit. Impune Svecis omnes
 malevoli insultabunt; gloria illis tolerantiaë relin-
 quetur, inque perferendis posthac injuriis omnis bel-
 licosissimi quondam populi virtus spectabitur. Ve-
 rum iidem meliori paulo jure cum comico interro-
 gare se putabunt, unde illa lex est deprompta, quâ inju-
 riosum est ulcisci adversarios, aut qua via captent te illi, eadem
 ipsos capi? Tametsi in amicorum gratiam ea tunc ex-
 erce-

exercere noluerat S. R. Majestas, quibus adversus hostem uti jura naturæ gentiumque in infinitum permittunt. Satisne commode igitur totum hunc minimum egisse videbitur? Certe cum multa furiose dicta reperiantur; nemo tamen eo vecordiæ unquam processisse legitur, ut injustum pronunciaverit se adversus hostem defendere, jusque illud, quod natura omnium hominum animis in sevit, penitusque commendavit, impugnare hactenus sustinuerit.

Quamobrem cum ad facietatem usque demonstratum sit, nihil sani, nihil veri hoc scripto, quod Regis Poloniæ nomine divulgatum est, contineri; sed totum illud ineptiis, absurditatibus, teterrimis conviciis, fraudibus, mendaciisque conflatum esse, adeoque pro famoso potius libello, quo S. R. M. & inclyta Svecorum natio iniquissime sugillatur, quam pro scripto publico, quo causæ hujus belli exponerentur, habendum esse: supervacaneum videtur quidquam ulterius inculcare, quam impium & nefarium bellum Rex Poloniæ suscitasset. Omnes utique mortales, qui rectæ mentis usum habent, nec ira odiove in transversum acti sunt, cum hæc perpenderit, apertissime cognoscent atque fatebuntur, nihil in Rempublicam Regemque Poloniæ admisisse S. R. Majestatem Sveciæ, quod

li rebo-
naviga-
lo, &
m va-
ntibus
ur, ne
salu-
omnes
tjam si
ra ho-
ulfare
Saxo-
inter-
com-
arma
conati
omnes
relin-
is bel-
Ve-
terro-
â inju-
eadem
nc ex-
erce-



quod ab amico fidoque vicino alienum esset, aut fœderi Olivenfi ulla in parte adversum: injustitiam autem istius Regis detestabuntur, qui, profanata fœderum pactorumque religione, improvise & fraudulenter pacem abruptit, nulla necessitate inductus, non justa causa, non legitimo modo, contra jusjurandum & conscientiam suam, contra pacta conventa, & istius, cui præest, Reipublicæ Leges: & invenient proinde frustra in conclusione hujus libelli rationes emendicari, quibus omissam belli denunciationem excusare conetur, ubi causa belli nulla est; frustra denique ad pactum Olivense appellari, cujus articulus tricesimus quintus declarationem bello etiam justo ac necessario præmittendam esse non modo discrete jubet, verum etiam omnem violentiam & hostilem actum prohibet, donec, reconciliationis via tentata, lædens honestis æquisque conditionibus refragari inventus fuerit. Quo turpior hic est geminata fraus, quod, cum legem hanc antea mutilasset, prolatam nunc quoque corrumpere audeat, surripiendo voculam negationis, cum tamen luculenter ista cautum sit, ut, injuria accepta, non liceat ideo læso ad arma subito recurrere, sed amicabilis componendarum controversiarum ratio ante ineunda sit. Adeo difficile esse constat, recti quidquam

bovp

quam illum sentire, aut agere posse, qui semel malam mentem induerat, aqve veritatis via deflexerat. Cum una fraus novâ protegenda sit, in longam vitiorum seriem itur, quam postea, etjam si velis, pudor vetat abrumpere. Sic quoque ad turpitudinem hanc infucandam inani disputatiuncula illud jus agitur, quo Princeps vicinum nondum hostilia professum, sed è longinqvo molientem occupare potuerit. Nam ut prudentiæ est, cogitatione futura præcipere, & imminentem tempestatem prævenire; ita malitiose metum sibi fingere, ubi ne minima quidem alicujus periculi suspicio esse potest, divino humanoq; jure detestanda est ars, quæ generis humani exitio inventa, belloqve omnium in omnes profeminando apta videatur. Cum autem exacte noverit Rex Poloniæ, nihil infesti S. R. M. Sveciæ adversus Rempublicam, cujus amicitiam novo fœdere pignorari sibi voluerat, animo destinasse, & nihilominus, omnibus dictis factisq; ad fallendum instructis, tantum periculorum metum Polonis injicere laboraverit, quasi stantes in cervicibus illorum Sveci, extremum in singulas horas ictum minitarentur; quid aliud ostendit, quam hunc scopum unice sibi præfixum esse, ut Poloniam belli arenam faceret, & velut victimam succedaneam suo furori subderet, in quam deinceps exhaustam viribus & enervatam pro lubitu dominaretur. Sed nisi nimia ipsum cupiditas excecasset

O

casset

ut fœ-
am au-
fœde-
raudu-
us, non
andum
, & i-
ent pro-
ones e-
tionem
frustra
rticulus
justo ac
serte ju-
tilem a-
ntata, læ-
gari in-
a fraus,
rolatam
o vocu-
atum sit,
subito re-
rum ratio
cti quid-
quam



casset, tam perspicue mentem ejus hodie non viderent Poloni, quibus ex tot malis, quæ Reipublicæ ab eo iniusta sunt, hoc boni venerat, quod didicerint jam veros amicos ab insidiatoribus dignoscere, ejusque artes cavere, qui ut Reipublicæ Majestatem obtereret, immani consilio atque audacia turbare eandem prius quæsierat.

Qui vero conscius sibi est, foederum sanctimoniam turpi foedoque more se polluisse, an credibile cuiquam videbitur, eum serio invocasse Deum fractorum foederum vindicem atque ultorem? An speraverat tam facile summum illud sanctissimumque numen ludificari posse, ac homines vaframenti suis circumvenerat? Sed illa Deo curæ erunt, qui profanati nominis sui ludibrium justis aliquando suppliciis maerabit, illicitasque machinationes, utcumque calliditate multa astutiaque blandiri videantur, postquam illam, quam iis præstituerat, maturitatem attigerint, ad vanum irritumque cum æterno ejus rubore damnoque rediget. Præclara interim spe S. R. Majestas Sveciæ sustentatur, cum cogitat omni culpa vacuum innocuamque se in hoc bellum esse protractam, istaque arma ex ipsa causa vires roburque sumere, quæ non libido, sed necessitas pro patriæ civiumque suorum securitate expenderit. Freta igitur optimæ mentis conscientia, ultorem gladium stringit, eo animo, ut eundem prius non

non recondat, quam noxio foedifragorum sangvi-
 ne devastationi provinciarum suarum parentaverit;
 Deumq; omnipotentem, supremum exercituum do-
 minum, testatur, se puram innoxiamq; esse omnium
 malorum, quæ ex bello hoc proventura sunt; atqve
 eundem regnorum statorem deprecatur, ut sibi con-
 tra nefariam conspirationem iniquissimorum hosti-
 um conflicturo dignam majoribus suis fortitudinem
 inspiret, atqve ita cuique victoriam prosperet, ut ju-
 stitia causæ meruerit.

Confidit deniq; potentissimos serenissimosqve Princi-
 pes, non tantum sponsores foederis Olivensis, Christianissi-
 mum Galliarum Regem, verum & ejusdem consortes, S. Cæ-
 saream Majestatem, & Electorem Brandenburgicum, tanto ju-
 stiori indignatione arrogantiam istius Regis percepturos esse,
 quanto majori temeritate ac contemptu pacta, quæ religiosissi-
 me ab iis sancita sunt, infregerit, & tamen eorum contra læsos
 auxilium implorare non erubuerit. Certe tantis nominibus
 admodum proterve illudit, qui vindices assertoresqve illius
 foederis, quod ipse violaverat, in nefandam armorum societa-
 tem sollicitare non veretur, atqve eorundem opes post bel-
 lum temere a se motum respicere, quorum auctoritatem su-
 perbe antea spreverat, quosq; juxta clarissimam pactorum
 legem, de injuriâ prius monere debuisset, quam ad arma pro-
 filire. Qvis autem non intelligit, tantundem illum nunc pe-
 tere, ac si diceret æquum esse, ut, quoniam ipse jurisjurandi fœ-
 derumq; religionem temeraverat, sponsores quoq; fidem non
 servarent, atqve quos ipse insidiis suis primoq; imperu obtere-
 re non potuerat, eosdem illi manibus suis elapsos exciperent
 atq; jugularent? Satis jam inimicorum in Svecos concitave-
 rat,

rat, qui Acherontem ipsum commovere e sedibus suis laboravit, nactusque est socium perfidiâ ipsi parem Moscum: at summos orbis Christiani Principes, qui fidem sancte colere lauducunt, veræque gloriæ cupidine trahuntur, tam impias artes, foedamque bellandi libidinem, totis animis averfaturos esse sperare æquum est. Quos proinde S. R. M. existimat se majori jure ac fiducia rogare posse atque obtestari, ut quam pacem summo labore, cura ac diligentia olim stabiliverant, nunc petulanter, superbe, ac crudeliter violatam ac concussam ulcisci atque vindicare non desistant. Atque ut amica illorum consilia grato animo agnoscat, pari que benevolentia officia hætenus præstita demereri parata est: ita consummata eorum prudentiæ dijudicandum relinquit, quam parum fuerit absurdissimum hostem, pacisque ruptorem, ab injuriis dehortari, nisi ad libidinē ejus coercendā validiora remedia attulerint. Exigit hoc ipsorum auctoritas, quæ ferociter spreta atque concultata jacet: postulat decantata fides & integritas, ut, quam sancte promiserant, opem auxiliumque mature ferant: ipsa denique justitia efflagitat, ut communibus armis, sicut pacificatione Olivenfi convenerat, aggressorem tam diu persequantur, donec segura & honesta pax, quæ læso illata damna refarciat, restituta fuerit. Quo pacto non tantum apud eos, quibus officia impenderint, sempiternam gratiam inibunt, verum etiam omnes in unum nationes, adeoque totum mortalium genus, immortalis beneficio sibi devincient, qui gratisimo prædicabunt ore, quod Principes in supremo rerum humanarum fastigio collocati, potentiam viresque à Deo concessas ad comprimendam foedifragorum audaciam adhibuerint, justaque severitate providerint, ne pessimo perniciosissimoque exemplo quisquam post hac invitatus pactorum foederumque vinculum, quo salus humani generis, & societas omnium gentium continetur, improbo ausu rumpere ac dissolvere tentaret.

ME



pora-
sum-
laudi
artes,
esse
majori
acem
nunc
m ul-
orum
fficia
æ co-
uerit
orta-
erint.
con-
quam
a de-
icati-
van-
a re-
eos,
unt,
tum
qui
o re-
Deo
hibur
iosis-
æde-
as o-
re

ULB Halle

3

004 809 084



VDA7



1143
D A



cis Olivenfi
 certò fœdere
 liberam ele
 go ausu consp
 bilitatis ju
 fundare vol
 celatum pe
 rabilia dam
 derent, na
 trociniis glo
 bus restituti
 Gustaphus
 sibi vindica
 licite & con
 cos vetera L
 provinciam
 Etatos exqu
 sub gravi ju
 fas agentibu
 mento ad Li
 adactus, ne,
 irreparabili
 nia a Svecis
 dia ademt a.

minatur, Svecos
 n, compilato ad
 apio & fœdisfra
 proculcato no
 ptri potentiam
 amicitiae larvâ,
 urlandiae intole
 violenter inva
 thici usu, ex la
 data, neq; navi
 s patrasse, cum
 thici dominium
 le Livoniam il
 lienatam: Sve
 sq; induceto in
 honoribus mul
 equius esse, ut
 nis scelus ac ne
 cientia & jura
 vram necessitate
 dominum cum
 tationem Livo
 i Duci Curlan
 iis Polonis, de
 termi-

